650

C
7

Digitized by Google

KW
550
C7

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

550 C 1

DE
ANTIQUIS LITTERIS
HEBRÆORUM
ET
GRÆCORUM

LIBELLUS

JOANNIS BAPTISTÆ BIANCONI,

BONONIÆ MDCCXLVIII.

Apud Thomam Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.
Superiorum permissu.

Digitized by Google

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Digitized by Google

JESU CHRISTO

REDEMPTORI SUO

GENTES OMNES

ΚΛΗΡΟΝΟΜΗΣΑΝΤΙ

LIBELLUM

DICAT ET RESTITUIT

AUCTOR

DEVOTUS NUMINI VERO

MAJESTATIQUE EJUS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

CRedidere Judæi, qui altero ſeculo poſt exciſam a Tito Hieroſolymam vixerunt, Eſdram antiquaſſe vetuſtas figuras litterarum hebraicarum, earumque loco utendas populo ſuo tradidiſſe illas, quas Babylone viderat in uſu eſſe: atque hoc tanta aſſeveratione affirmare ſoliti fuerunt, ut id noſtris etiam ſummis quibuſque & doctiſſimis viris perſuaſum eſſet. Origenes ſeculis ſeptem a re ut ajunt geſta omnium primus hoc a Judæis acceptum tradidit (*a*): Tum Euſebius in Chronico (*b*) *affirmatur*, inquit, *Eſdras ..... Judaicas litteras mutaſſe*: Deinde plurimi idem ſcripſerunt. Nullum nimirum tempus aliud occurrebat, nulla occaſio, cui tribui poſſet ſolemnis hæc mutatio litterarum. Ex eo tempore opinio invaluit characteres quadratos, quibus etiamnum utuntur Judæi, primo Chaldæorum fuiſſe, poſt a Judæis receptos adhuc in uſu eſſe; cum interea antiquæ litteræ Hebræorum relictæ fuerint Samaritanis, quos Babylonicæ captivitatis procella non involverat. Habet hæc ſententia multam ſimilitudinem veri. Si quis enim contulerit figuras litterarum, quibus nunc ſcribunt Judæi cum iis, quibus exaratus eſt Pentateuchus Samaritanus, non invitus ſibi perſuadebit diverſas eſſe litteras, præſertim cum plurimos jam & graviſſimos ita ſentiendi habeat auctores.

(*a*) In ſcelect. in Ezech. T. 3. p. 434.
(*b*) Cit. a Walt. prol. 3. Bibl. Polygl.

Verum huic opinioni maximam ſemper attulere difficultatem Judaici nummi, qui in manibus multorum ſunt, *ſicli* vulgo dicti, quibus impreſſæ ſunt non eæ litteræ, quas nunc habent Judæi, ſed vetuſtiſſimæ ejus gentis, ſeu Samaritanæ, quamvis nemo fortaſſe ſit, quin fateatur longe poſt captivitatem Babylonicam fuiſſe percuſſos. Adeo torquet veteris opinionis ſtudioſos hoc argumentum, ut ad illud declinandum nihil non excogitaverint. Sed nuſquam tamen memini me legiſſe quidquam, quo difficultas hæc tollatur, vel ſolide infirmetur. Atqui rem hanc ſi quis excuſſerit, cognoſcet ab iis, qui veterem hanc traditionem tuentur, nonnulla temere dici & tanquam certa poni, quæ tamen indigent auctoritate. Ego vero puto litteras veteres Hebræorum non fuiſſe publica auctoritate immutatas, neque Eſdram novas litteras tradidiſſe, ſed ex iis quæ in Siclis extant paululum immutari cœptis commodo & celeritate ſcribendi ſenſim efformatos eſſe characteres Judaicos, qui nunc ſunt in uſu. Quam ſcribendi varietatem apud omnes gentes, quarum mores novimus, nemo negabit ſemper fuiſſe. Primo itaque videndum, quibus fundamentis nitatur illa opinio, deinde quæ noſtram ſententiam confirmant afferenda.

Ajunt noſtrates litteras Judaicas Babylone in uſu fuiſſe. Nihil eſt dicto facilius, ut in veteri proverbio. Verum illud, quo tanquam baſi cetera ſuſtinentur, confirmaſſe aliquo certo teſtimonio oportuiſſet. Mihi profecto id quærenti adhuc non occurrit. Imo vero Chaldæos iiſdem quibus Hebræi characteribus uſos eſſe, probabilius eſt. Quod ut explicem, paulo altius eſt res repetenda. Abraham & Nachor cum fratres eſſent in eadem domo educati ad virilem uſque ætatem, communem habuiſſe linguam facile cuivis probabitur. Communem item lin-

linguam eorum poſteros habuiſſe multa ſuadent. Abraham jam ſenex filio Iſaac uxorem adjuncturus mittit *ſervum ſeniorem domus ſuæ* ad filios fratris Nachor in Meſopotamiam. Is illuc profectus propter oppidum conſidet expectaturus horam, qua mulieres ad hauriendam aquam exirent. Rebeccam conſpicatus *virginem decoram nimis* ſecum reputavit eam eſſe quam quæreret: obviam factus eam interrogat, cum ea familiariter loquitur, & inde domum ingreſſus Batuelis patris puellæ multos habet ſermones. Nulla inter duorum fratrum filium & ſervum neceſſitas interpretis nulla mentio, ut infra de Joſepho dicitur, qui cum fratres alloqueretur, velletque ignotus eſſe, interprete utebatur. Pergit ad virum Rebecca cum nutrice & ancillis, quæ cum ad alia, tum ad puerorum curam datæ fuiſſe videntur: quantumque matris, & ancillarum ſermo valeat in formanda puerorum lingua, nemo ignorat.

Jacob a parentibus perſuaſus proficiſcitur in Meſopotamiam e domo itidem nepotis Nachor uxorem quæſiturus. *In baculo ſuo*, ideſt ſine comite aliquot dierum via confecta caſu obvios habet in agro primum ſervos avunculi ſui Laban, tum conſobrinam Rachelem, poſtremo avunculum ipſum ad ſe progreſſum. Cum his omnibus ſermonem habet, ut fit inter eos, quos caſus obvios facit. Poſt aliquot annos ducit Liam & Rachelem filias Laban; liberoſque tam ex illis procreat, quam ex earum ancillis, in ea regione annos commoratus XX. Demum divino monitu in terram Chanaan revocatus educit uxores, filios, ancillas, & plurimam familiam, quæ ſufficere poſſet domeſticis officiis & armentis multis ovium, caprarum, camelorum, boum, aſinorum curandis. Ita Jacob in terram Chanaan redux non modicam prout illa ferebat ætas civitatem habuit, in qua

verſaretur, auctam deinde Iſaac vita functo famulis & opibus paternis: tam raris eo tempore habitatoribus ejus regionis, ut paterfamilias tot hominum tantorumque armentorum dominus poſſet ſine cujuſquam injuria ex fructibus terræ ſe ſuoſque ſuſtentare. Et qua ratione pater & avus ejus ſub tabernaculis perpetuo degentes nulla certa ſede, nulli populo aut urbi diu addicti hac illac peregrinati fuerant, ut paſcua & alendæ familiæ ratio poſcebant, eadem vixit etiam Jacob, donec ipſe, filii, omniaque ſervitia in Ægyptum proficiſcerentur. Nemini poteſt in mentem venire Iſraelitas (ſic enim vocare deinceps fas eſt) interea linguam mutaſſe, cum Joſeph jam *præpoſitus univerſæ terræ Ægypti* fratres illuc profectos famis cauſa, ut frumentum coemerent, plane intelligeret inter ſe colloquentes. Cum itaque deduxerimus poſteros Abraham uſque in Ægyptum, in qua *aucti, & multiplicati nimis*, & in unum collecti locum vixere, videor mihi ita proceſſiſſe, ut confidenter affirmare poſſim in Iſraelitarum gente linguam Abraham continuatam eſſe. Eandem poſtea perduraſſe in Hebræis aliquot ſeculis, ſolertiſſimi quique harum rerum inveſtigatores opinantur.

Poterit dubitationem aliquam movere, num certa & plana ſint quæ diximus, id quod eſt Geneſ. XXXI. 47. *quem vocavit Laban tumulum teſtis, & Jacob acervum teſtimonii, uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ*. Sed primo advertere oportet verba *uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ* ab hebraico fonte & verſionibus univerſis abeſſe. Solet enim aliquando vulgatus interpres per paraphraſim addere quædam, ut notum eſt. Deinde nomen loci יְגַר שָׂהֲדוּתָא *tumulus teſtis*, quod Moyſes tribuit Labano, videtur dictum per anticipationem. Planius dicam. Moyſes ſciens & prudens ſcripſit locum Galaad, ſeu

tumu-

tumulum teſtis dictum eſſe יְגַר שָׂהֲדוּתָא etiam tum a Labano, quia ſuo tempore id nomen habebat inditum a poſteris Labani, aut a Chaldæis; Chaldaicam quippe formam id nomen habet; quemadmodum antea ſcripſerat Geneſ. XII. 8. Abraham veniſſe prope Bethel, cum tamen locus is Bethel ſit appellatus ſolum multis poſt annis a Jacobo nepote: ſi modo illa ut nunc jacent a Moyſe ita ſcripta ſunt. Fieri enim facile poteſt, ut poſteriores Hebræi hoc nomen appoſuerint, ut poſteris Labani, & Chaldæis, quorum omnium auctor erat Nachor in juramento memoratus, conſtaret clarius de loco, in quo fœdus inter Patres tantarum Gentium ſancitum fuerat. Quæ ſequuntur in textu hebraico, dant locum huic ſuſpicioni. *Et vocavit eum Laban* יְגַר שָׂהֲדוּתָא: *& Jacob vocavit eum* גַּלְעֵד: *Et dixit Laban* (non יְגַר שָׂהֲדוּתָא ſed) מִצְפָּה הַגַּל הַזֶּה עֵד *inter me, & inter te.*

Redeo ad Nachor ejuſque progeniem, cum qua ut diximus iteratis conjugiis Abrahami filius & nepos conjuncti denuo fuere. Batuel Rebeccæ & Labani pater filius erat Nachor. Filius ſimiliter Nachor erat Caſed, a quo progeniti ſunt Chaldæi. (*a*) Chaldæi ergo eadem ac Hebræi ſtirpe progeniti ſunt. Id ita perſuaſum erat Joſepho, ut cum ſuam gentem a Græcorum calumniis defenderet, ſe omiſſurum diceret teſtimonia ſcriptorum Chaldæorum, tanquam ſuſpectæ fidei futura, ſuæque cauſæ minus idonea, quia *ſui generis principes erant, & cognatione conjuncti.* (*b*) Hic adnotandum eſt, cum in Scriptura dicitur Abraham egreſſus eſſe de Ur Chaldæorum, intelligi de eo loco & regione, quæ poſtea de filiis Caſed illius oræ habitatoribus Ur Chaldæorum vocabatur.

Sunt

(*a*) S. Hieron. aliiq. plurim.
(*b*) Lib. 1. cont. Apion. τῶ γένως ἡμῶν ἀρχηγὸι κ᾽ συγγενεῖς.

Sunt hæc ut dixi nomina per anticipationem locis attributa. Filius item Nachor primogenitus fuit Hus. (*a*) Inter posteros Hus vel saltem in regione, quam tenuere posteri Hus, fuit Job luculentum patientiæ exemplar. Loquebatur hic eadem lingua qua Hebræi, ut ostendit ejus liber. In eo dicuntur Chaldæi irruisse in camelos Job, eosque abegisse: ejusdem quippe generis homines finitimas regiones incoluere. Cum itaque posteri Batuel & Hus eundem cum Hebræis sermonem habuerint, eundem etiam videtur concludendum in posteritate Cased, seu in Chaldæis permansisse. Longius sermo notter non procedit, quia Chaldæorum res deinceps in magna sunt obscuritate. Silent enim de iis divinæ Scripturæ, ex quibus solis tam remoti ævi historia colligi potest. Post longam intercapedinem decem aut undecim seculorum nonnulla tandem occurrunt lib. IV. Reg. cap. 18. eademque Isaiæ cap. 36. repetita, quibus argumentari quis posset non eandem fuisse Chaldæorum linguam cum Hebręa. Quid vero inter utramque interfit, clarissime patet ex libris Danielis & Esdræ, in quibus multa, quæ Babylone gesta sunt, Babyloniorum seu Chaldæorum lingua nonnullis capitibus narrantur. Si quis autem diligenter ejus linguæ Chaldaicæ indolem consideraverit, cognoscet parum ab hebræa differre. Pleræque enim voces e communi cum hebraicis radice derivantur, inflectendi ratio non multum ab hebraicis variat, simplicitas & vis orationis eadem est; ita ut qui hebraicam linguam calluerit, minimo labore Chaldaicam etiam intelligere possit. Sanctus Hieronymus (*b*) Chaldaicam linguam dicit *magna ex parte affinem Hebraicæ*. Waltonus *magnam*, inquit

(*a*) S. Hieronym. ex Genes. c. 22.
(*b*) Prol. gal. in S. Bibl.

quit, *Chaldaica lingua habet cum Hebræa affinitatem.* (*a*). Oleaſter *has duas linguas unam eandemque* putat *fuiſſe a principio, cum ſint admodum vicinæ.* (*b*) Idem plane credidit Philo, cum de verſione Græca LXX. Interpretum loqueretur. Dixit enim inculcavitque (*c*) de Chaldaica lingua græce ſacra Biblia fuiſſe converſa. Vapulat hic vir *diſertiſſimus Judæorum* a multis tanquam Helleniſtes & linguæ ſuæ gentilis ignarus, perinde quaſi neſcierit ſacros libros hebraice primo fuiſſe ſcriptos: cum contra ipſe Græcis ſua editurus de induſtria maluerit ſacros libros & gentilem linguam linguæ cognatæ notiſſimo propter vetus imperium nomine appellare. Cum Philone itidem alii ſenſere Hebraicam, & Chaldaicam linguam eandem eſſe, ut eſt apud Iſidorum (*d*). Et Sulp. Severus ex lingua Aſſyria Samaritanum interpretatur *cuſtodem* (*e*): ex hebraica idem nobis valet. Præterea pſalmus 136. argumento eſt Chaldæos multos hebraicum ſermonem intellexiſſe, & poëſim quæ in omnibus linguis difficilior ſemper eſt ſoluta oratione: *quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum, & qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Familiare nimirum eſt homini-

(*a*) Prol. 12. Bibl. Polygl.
(*b*) Cit. ibid.
(*c*) Lib. 2. de vita Moſis. τὸ παλαιὸν ἐγράφησαν οἱ νόμοι γλώσσῃ χαλδαϊκῇ &c. εἰς ἑλλάδα γλῶτταν χαλδαϊκὴν μεθαρμόζεσθαι διενοεῖτο Ptolemæus Philadelphus &c. De Moſe Hebræorum legislatore dicit Clem. Alex. Strom. l. 1. Μωϋσῆς ἄνωθεν τὸ γένος χαλδαῖος ὢν ἐν Αἰγύπτῳ γεννᾶται τῶν προγόνων αὐτῷ διὰ πολυχρόνιον λιμὸν ἐκ Βαβυλῶνος εἰς Αἴγυπτον μεταναςάντων. *Moſes cum ex alto petita origine eſſet Chaldæus, natus eſt in Ægypto, cum majores ejus propter diuturnam famem e Babylone migraſſent in Ægyptum.*
(*d*) Lib. 9. Orig. c. 1.
(*e*) Hiſt. ſacr. l. 1. c. 49.

minibus, ſi quem nacti fuerint externum, curioſius interrogare de rebus patriis & religioſis. Quod ſi IV. Reg. c. 18. & Iſai. cap. 36. nonnulla dicuntur, ex quibus argumentamur hebræos Chaldaice loquentem non intellexiſſe, animadvertendum eſt id dici de populo ſeu plebe & hominibus a conſuetudine exterorum maxime remotis. Tres autem viri a Rege miſſi omnes Chaldaicam linguam ſe profeſſi ſunt intelligere. Vidimus hic ante annos aliquot fœminas & ruſticos hærere, cum a militibus Regis Siculi interrogarentur, audivimus profeſſos aliquando ſe non intellexiſſe, quid ii dicerent, cum tamen Itali ad Italos loquerentur. Callide ergo nuncium Regis Babylonii hortabantur, qui ad eum miſſi fuerant, ut Chaldaice loqueretur, ne omnia quæ ipſe nunciabat, capere poſſet plebs Hebræa. Hebræos autem a conſuetudine externorum hominum ſemper abhorruiſſe, clarius eſt, quam ut a me ſit probandum. (*a*) *Novi* idcirco *ignoti aliorum hominum oſores* dicti ſunt a Græcis. (*b*)

Ejus autem differentiæ, quæ Chaldaicæ linguæ fuit & hebraicæ, cauſa facile patebit ei, qui diſtantiam temporum pauliſper attenderit. Ab Abraham enim ad Babylonicam captivitatem amplius mille & trecenti numerantur anni. Tam longa vero ætas quid non efficere potuerit? Quam multas viciſſitudines, quam varias rerum mutationes habuerit? Argumento ei rei ſunt promiſcuæ appellationes Aſſyrii, Chaldaici (*c*), Babylonici regni, quibus ab hiſtoricis

(*a*) Juſtin. lib. 36. *cuncrones, ne cum peregrinis communicarent.*
(*b*) Joſ. contr. Ap. lib. 1.
(*c*) Chaldæi Diodoro Siculo dicuntur antiquiſſimi Babyloniorum Χαλδαῖοι τῶν ἀρχαιοτάτων ὄντες Βαβυλωνίων. lib. 3. Et Nabuchodonoſor primi Templi Hieroſolymitani everſor I. Eſdr. 5. 12. vocatur Rex Babylonis Chaldæus נְבוּכַדְנֶצַּר מֶלֶךְ־בָּבֶל כַּשְׂדִּי Et Joſeph lib. 10. ant. c. 11. Ναβαχοδονοσόρῳ Βαβυλωνίων καὶ Χαλδαίων Βασιλέως.

ricis primus ille & maximus principatus nota capitis aurei in celebri somnio Regis Babylonici (*a*) designatus iis variis nominibus vocatur. Hæc autem varietas nominum vel ex gentibus quæ ceteris imperarunt profecta, vel ex familiis regno potitis, vel etiam ex sedibus imperii mutatis indicat certe plures in unum imperium nationes coaluisse, quod sine multo tempore multis bellis variarumque nationum militia & convictu fieri non potest. Bella insuper, quibus magna regna diu carere non possunt, hostibus superatis & eversis quantam captivorum vim transferre solebant in ipsam imperii sedem! Testis hujus rei Hebræorum celebris captivitas, testis aliorum populorum Babylonem translatio (*b*). Quantam hæc ad mutandum Chaldæorum sermonem vim habuerint manifestum omnibus est. Adde his cohortes prætorianorum in custodiam Regis e regionibus imperii alias ex aliis Babylonem quotannis accitas (*c*); plurimorum præterea populorum, & dissimilium linguarum frequentiam, quæ ad Regem & aulam non poterant non accedere, in eaque longius identidem commorari. Quamplurimas vero nationes eidem regno subjectas, & potentissimum imperium fuisse narrant historici in Africam usque & Hispaniam propaga-

(*a*) Daniel. 2.

(*b*) Basil. in Isai. c. 13. In fructibus victoriæ numerabatur translatio eorum, qui victi fuissent in regionem victoris, in qua servitutem publicam serviebant. Vide Herod. l. 2. ubi de victoria Sesostris. Et I. Mach. 1. *& captivas duxerunt mulieres & natos* &c. & c. 6. *misi auferre habitantes Judeam sine causa*, inquit Antiochus Epiphanes.

(*c*) Diod. Sic. lib. 2. κατ' ἐνιαυτὸν μετεπέμπετο στρατιωτῶν ὡρισμένον &c. παραπλησίως δὲ τούτῳ καὶ λοιποὶ Βασιλεῖς ... ἐβασίλευσαν μέχρι Σαρδαναπάλλου *quotannis certum cuilibet genti militum numerum imperavit* &c. *ad eum prope modum ceteri Reges regnarunt usque ad Sardanapalum.*

pagatum (*a*). Nemo ergo miretur, ſi intra duos tantum verſus chaldaicos Danielis (*b*) quinque voces origine Græcæ occurrunt in Chaldæam linguam translatæ κῆρυξ קָרוֹזָא *præco*, κιθάρα קִיתָרוֹס *cythara*, σαμβύκη שַׂבְּכָא *ſambuca*, (*c*) ψαλτήριον פְּסַנְתֵּרִין *pſalterium*, συμφωνία סוּמְפֹנְיָה *Symphonia*. Tamen poſt tot ſecula in tanta rerum & nationum varietate Danielis & Eſdræ tempore lingua Chaldaica ſeu Babylonica magnam habet cum Hebræa affinitatem.

Obſervatio etiam litterarum, quæ ſunt linguæ utriuſque propriæ, mihi ſemper perſuaſit, chaldaicam & hebræam linguam ex eodem fonte manaſſe. Unaquæque enim lingua aliquam ſibi peculiarem litteram habet, qua ceteræ linguæ carent, & cujus pronunciationi litteram quæ plene reſpondeat, ceteræ non habent, ut eſt in latina *q*, in Græca θ, in hebræa heth hain & tſade, in arabica hha, & aain &c. Ex his fit ut litteræ unius linguæ non poſſint omnes ſonos alterius linguæ exprimere perfecte: quis enim græce *equum* ſcribere poterit? aut quis vocem θεὸν latinis litteris plene reddet? latini idcirco Deum dixerunt per *d* litteram affinem τῷ θῆτα, diverſam tamen: ſic iidem עוץ reddiderunt *Hus*, cum *b* neutiquam valeat ſonum litteræ ע, neque ſ litteram tſade exprimat. Contra vero ſi de dialectis linguæ alicujus agatur, omnes iiſdem litteris apte ſcribuntur. Sic Arabicæ litteræ dialecto Perſicæ, Arabicæ, Turcicæ ſufficiunt abunde: Sic Græcæ Attico, Dorico, Jonico ſermoni exprimendo pares olim erant; ſic denique nos & latina & vernacula verba iiſdem litteris exprimimus. Cum ergo litteræ hebrææ verba, & ſonum utriuſque linguæ Hebraicæ, & Chaldaicæ appo-

(*a*) Joſeph. lib. 10. c. 11. ant. Jud. ex Megaſthene &c.
(*b*) Daniel. c. 3. v. 4. & 5.
(*c*) Sambucam invenerunt Troglodytæ. Clem. Alex. Strom. l. i.

appoſite & plene reddant & exprimant, dicendum eſt has duas linguas veteris alicujus linguæ dialectos eſſe.

Hic liceat mihi a lingua ad litteras ſcripturamque progredi. Si unus ſermo Hebræorum & Chaldæorum vetuſtiſſimo ævo, ſi Hebræa & Chaldæa lingua veteris alicujus duæ dialecti ſunt, iidem etiam fuere utriuſque nationis characteres. Hebræorum vero litteræ uſque ad captivitatem Babylonicam eæ fuerunt, quæ nunc Samaritanæ dicuntur, & nemo fortaſſe eſt ætate hac, qui iſtud neget. Eas autem Chaldæis & Babyloniis fuiſſe communes colligi poteſt ex Joſepho. Narrat is (*a*) qua ratione Cyrus primo regni ſui anno Judæos liberavit. Retulerat Cyro aliquis Hebræus extare in ſacris nationis ſuæ vaticiniis, populares ſuos exactis LXX. ſervitutis annis in libertatem aſſerendos fore per potentiſſimum Regem; idque ante ducentos amplius annos fuiſſe prædictum, ipſomet Rege jam tum proprio Cyri nomine compellato: Hæc miratum Cyrum, ut quilibet in re tam inſolita feciſſet, cupiiſſe certiorem fieri; fortaſſe etiam metuentem, ne qua fraus ſibi fieret, voluiſſe legere (*b*) Iſaiam (*c*). Si hebraici characteres communes non erant Babyloniis, qui fieri potuerit, id mihi velim explicari. Facile enim quivis ſibi perſuadebit Cyrum linguam & litteras noviſſe, quæ Babylone imperii ſede in uſu erant: nemini vero probabile erit Cyrum, qui Perſa erat, qui Dario Medo Babylonicum impe-

(*a*) Antiq. Jud. l. xi. c. i.

(*b*) ταῦτα δ' ἔγνω Κύρος ἀναγνώσκων τὰ Βιβλίον, ὃ τὰς αὐτῦ προφητείας ὁ Ισαΐας κατέλιπεν. *Hæc autem Cyrus cognovit, cum legeret librum qui Iſaiæ prophetias continet:* & paulo poſt τᾶυτ' οὖν ἀναγνόντα Κύρον &c. *Hæc cum Cyrus legeret &c.*

(*c*) Qui de Cyro meminit c. 44. in fine & initio ſeq.

imperium occupanti opem tulit, (*a*) qui Regi proximus dignitate, qui Rex demum fuit, grandiorem natu credidiſſe hebraicas litteras ſibi addiſcendas. De rebus ſermo eſt tam remoti temporis, & a tam paucis ſcriptoribus narratis, ut lector æquus qualibet probatione debeat eſſe contentus. Quod tamen propoſuimus non caret teſtimonio aliquo veterum monumentorum. Haym (*b*) duos affert nummos litteris Parthorum ſignatos. Parthia autem erat provincia primum Babylonici, deinde Perſici, poſtremo Græci in Aſia Regni; quę ſui juris effecta propriiſque ſubjecta Regibus tanto imperio fuit aucta, ut cum Romanis diu bellum geſſerit varia fortuna & ſæpe oppugnata nunquam vinci potuerit. In duobus iis nummis aliquas litteras recognoſco veteres hebræas, vel ut dicere ſolemus Samaritanas. In primo enim clariſſime perſpicitur lamed hain, iterum lamed figura parum diverſa koph. In altero nun vau hain. Quod ſi nummos illos videre contigiſſet, dico fidenter plures litteras me fuiſſe detecturum.

Providi dum hæc dicerem mihi objici poſſe, præpoſitum Eunuchorum Danielem alioſque pueros introduxiſſe in Regiam, *ut eos doceret litteras & linguam Chaldæorum*: præterea magos & ariolos legere neſciſſe tria hebraica verba *Mane Thekel Phares*, quę manus ignota coram Balthaſſare convivium agente ſcripſiſſet. Videntur ergo litteræ Babylonicæ ab hebraicis diverſæ fuiſſe. Facilis tamen & plana ad hęc eſt reſponſio. Nomine enim litterarum intelligi debet eruditio & doctrina Chaldæorum, quo pacto & nos litteratum hominem dicimus eum, qui non litteras ſolum ſciat, ſed ea quæ litteris diſcuntur; (*c*) & vox סגר

(*a*) Joſeph ibid. lib. 10. c. ult.
(*b*) Tom. 2. p. 36. Teſſor Brit.
(*c*) Ita etiam bis explicatur in textu Græco Joſephi l. 10. c. 11.

סֵפֶר, quam latinus interpres generaliter *litteras* vertit, eruditionem & libros ſignificat aut *litteraturam* (*a*), non elementa ſcribendi, quo ſenſu nuſquam hæc vox in ſacris Bibliis occurrit. In iis de una tantum littera תָּו ſermo eſt; (*b*) cui cum adjungatur verbum תָּוָה *ſignare* (*c*), appoſite a Judæis litteræ ſeu elementa vocantur אוֹת אוֹתִיוֹת *ſigna* ſeu *characteres*. Additur *& lingua*, dialectus nempe Chaldaica: notum eſt enim, quam faſtidioſæ aures, & quam difficiles oculi ſemper fuerint Regum Orientalium. Alterum quod objiciebatur, videbitur habere vim aliquam iis ſolis, qui naturam ignorant & vim linguarum orientalium, quales erant ante inventa puncta vocalia. Nemo tunc legere poterat, quin de ſuo vocales conſonantibus adderet; has nemo poterat addere, quin ſententiam ſcripturæ eodem tempore intelligeret. En inſcripræ parieti tres voces, ſingulæ fere tribus conſonantibus conſtantes, ſingulæ aptæ ad nomen ſubſtantivum, ad varia verbi tempora ſignificanda, tres voces, inquam, quæ inter ſe nullo pacto conveniunt. Cedo hominem, qui in tanta ambiguitate non hæreat. Quæ de multiplici vocum illarum poteſtate dixi, non ex grammaticis, & lexico, ſed ex antiquis ſcriptoribus confirmo. Daniel (*d*) eas tres voces ceu præterita tempora explicat, Joſephus (*e*) tria nomina ſubſtantiva exponit. Neque vero concedam hebraicas voces eſſe: derivantur quidem a radicibus, quæ communes ſunt Hebrææ & Chaldaicæ linguæ, veruntamen in contextu orationis Chaldaicæ ſunt, puncta nunc ha-

(*a*) Ut pſal. 70. hebr. 71. v. 15.
(*b*) Ezech. 9. 4. וְהִתְוִיתָ תָּו
(*c*) V. Buxt. Lex. Hebr. in ea voce.
(*d*) Cap. 5. v. 25.
(*e*) Lib. 10. c. 12.

bent, ſeu leguntur more chaldaico, & altera vox pro שקל habet תקל, quod Chaldæorum eſt, qui pro ש frequenter ת uſurpant.

Venio nunc ad Eſdram, quem affirmant veteribus antiquatis novas litteras tradidiſſe. Hic primum quæro cujus teſtimonio freti id dicant? Eſdras enim de hoc nullum verbum, nullum item Joſephus facit. Reſpondebunt de veteribus Rabbinis & Talmude ſe accepiſſe. At quis eſt, qui neſciat hos alioſque id genus autores nihili eſſe faciendos? quam incertum & leve ſit eorum teſtimonium? Sed rem ipſam perpendamus. Certum eſt Eſdram rediiſſe Hieroſolymam anno ſeptimo Regis. Eum Regem Eſdras (*a*) Artaxerxem dicit, Joſephus (*b*) Xerxem. Si Xerxes fuit, jam ab anno ſexageſimo Hieroſolyma incolebatur a Judæis, qui dimiſſi fuerant a Cyro. Sin autem Artaxerxem fuiſſe contenderimus, octogeſimus primus annus volvebatur a Hieroſolyma reſtituta. Sequor autem in annis numerandis celebrem canonem Ptolemæi monumentorum hujus generis præſtantiſſimum, qui cum priore libro Eſdræ convenire mihi viſus eſt. Quisquis tandem fuerit ſive Xerxes ſive Artaxerxes, qui Eſdram ejuſque ſocios dimiſit, Judæa & præſertim Hieroſolyma nullo bello nullo turbulento populi motu habitabatur per LX. ſaltem annos ab iis, qui primo Cyri anno de regione Chaldæorum numero L. hominum millia in patriam redierant. Neque vero quiſquam putet in regionem deſertam, & habitatoribus vacuam iſtos tum rediiſſe. Habuit Judæa ſuos incolas ipſo tempore captivitatis. Profecto ſi attendimus divinorum Prophetarum verba, & modos loquendi plenos doloris, quibus ruina Hieroſolymæ

Rege

(*a*) I. Eſdr. 7. 8.
(*b*) lib. 11. c. 5.

Rege Sedecia vel futura prædicitur, vel jam illata narratur, non ſola urbs ſed tota natio perdita fuiſſe videtur. Captus enim fuit Rex, proceres regni paſſim cæſi, imperii ſedes univerſa ſolo æquata, Templum ditiſſimum & omnium Gentium pulcherrimum direptum incenſum, religio omnis ſublata, Pontifices & Sacerdotes vel occiſi, vel in ſervitutem traditi. Verum re ipſa attentius perpenſa agnoſcemus animadverſiones divinas, ut ſemper ſolent, minis etiam tum fuiſſe mitiores. Si enim ſumma ineatur hominum, non ſolum Rege Sedecia, ſed etiam Joachimo ejus deceſſore (*a*) in ſervitutem perductorum, XX. captivorum millia aut paulo plura inveniemus. Præter eos, quos bellum & obſidio urbis Hieroſolymæ abſtulit, in vulgus ſævitum non legimus. Ira igitur Regis Babylonici divini Numinis miniſtra in Regem, in Sacerdotes, in Principes populi, in Urbem nationis caput maxime exarſit, reliquis mortalibus ſolo Dei cultu externo mulctatis. Legimus in iſtorum numero Godoliam Hebræum univerſæ regioni præpoſitum, & populum in Maſphat; tum Hieremiam, Baruch, Habacuch prophetas, poſtea *Duces militum & principes exercitus*, mox Iſmaelem *de ſemine regio* alioſque inſignes viros, deinde omnes Hebræos belli metu huc atque illuc fugatos bello confecto in patriam reverſos, poſtremo *pauperes terræ* ſeu regionis (quos nimirum Rex Babylonis timere non poſſet) *& vulgus* urbis Hieroſolymæ, univerſos in patria terra relictos (*b*) ut regionem habitarent, & colerent agros, meſſemque colligerent, quæ ſtatim *multa nimis* (*c*) fuiſſe dicitur. Omnes hos vel potius eorum po-

(*a*) IV. Reg. c. 24. & 25. II. Paral. 36.
(*b*) IV. Reg. 25. 22. Jerem. 52. &c.
(*c*) Jerem. 40. 12.

ſteros in Judæa reperere illa, quæ diximus L. hominum millia Rege Perſarum Cyro in patriam reſtituta. LX. deinde anni, ut dictum eſt, fluxerunt uſque ad Eſdram. Hoc intervallo temporis Templum ſecundum Hieroſolymitanum ædificatum & completum eſt: feſta celebrata, ſacrificia quotidie peracta, *Sacerdotes in ordinibus ſuis*, *Levitæ in vicibus ſuis* conſtituti, *ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi* (*a*). Leges ergo Moyſi ſcriptas ad manus habuere. Deinde per eos dies prophetaverunt Aggæus & Zacharias (*b*) qui ea quæ prophetaverant, etiam ſcripſerunt. Præterea monumenta familiarum & gentium deperdita non ſunt (*c*). Ad Chriſtum enim uſque & ſubſecutam totius Gentis ruinam perduraverunt. Inſuper non omnes libri ſacri, & publici Hieroſolymis tunc fuerunt. Nehemias enim (*d*) dicitur poſt congregaſſe *de regionibus libros & prophetarum & David & epiſtolas & donaria*. Hiſce LX. annis quæro quibus litteris uſi ſint Hebræi? Enimvero non Babylonicis. Nemo unus quod ſciam hoc dixit. Conſequitur ergo vetuſtis ſuæ nationis uſos fuiſſe. Conſentaneum enim eſt hanc nationem, quæ ad hæc tempora ſervaverat antiquam ſuam dialectum, qua Zachariæ & Aggæi prophetiæ ſcriptæ ſunt, characteres etiam ſervaſſe. Interea dum hoc LX. annorum ſpatium effluit, plerique qui Babylone venerant, fato functi fuerant; reliqui in Judæa nati. Tum ſeptimo Artaxerxis anno advenit Eſdras, quem comitantur MDCC. circiter viri (*e*) quibus ſi addiderimus fœminas & pueros, ſeptem vel octo hominum millia ad ſummum efficiemus. At-

(*a*) 1. Eſdr. 6. 18.
(*b*) Ibid. c. 5.
(*c*) Ibid. c. 2. v. 62.
(*d*) 2. Mach. 2. 13.
(*e*) I. Eſdr. 8.

Atque hac ætate iſte fingitur veteres litteras, quæ in uſu quotidiano univerſæ nationis erant, antiquaſſe, Babylonicas dediſſe utendas populo in regione ſua jam inde a plurimis annis conſtituto? ſacris civilibuſque rebus inſtauratis in pace feliciter degenti? nulla cauſa tantæ & tam inſolitæ mutationis? Cum plurimi Babylonem non vidiſſent, cum in reliquis memoriam captivitatis dulcedo pacis & patriæ deleviſſet? Compertum eſt nationes multas ſervitute diuturna coactas linguam & litteras victoris populi recepiſſe: nulla tamen erit, quæ ſuos mores, linguam, litteras cum retinuerit non ſolum tempore ſervitutis, ſed etiam ſervitute ſublata, poſterius mutata voluntate cum eo populo, cui ante ſervivit, & quem non poteſt non odiſſe, aliquid ſibi velit eſſe commune.

Hæc tamen quantum materia patitur ex antiquis ſcriptoribus collecta parumper miſſa faciamus: in manus veteres nummos ſumamus, qui ſunt Judaici populi auctoritate percuſſi, ſiclos paſſim vocitatos. Dicuntur etiam vulgo Samaritani, etſi nihil omnino ad Samaritıcam gentem pertineant. Signati feruntur plerique cum Simon Machabæus dux & Sacerdos populo Judaico præeſſet, poſt captivitatem Babylonicam ſolutam trecenteſimo nonageſimo ſexto circiter anno, ante Chriſtum vix centeſimo quadrageſimo ſecundo. Legitur enim I. Machab. c. 15. Antiochus Sidetes inter multa, quæ in Simonem contulit beneficia, jus etiam tribuiſſe cudendæ monetæ (*a*). In his omnibus nummis leguntur litteræ vetuſtiſſimæ Hebræorum: Sicli enim in quibus fuerint litteræ quadratæ noſtratium Judæorum, tanquam adulterini ab eruditiſſimis quibuſque rejiciuntur. Si igitur in nummis vetuſtiſſimæ litteræ Hebræorum, ſeu ut

(*a*) v. 6. *permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua.* Hinc fit ut multi ſicli ærei Simonis nomen habeant.

fert inveteratus mos loquendi, Samaritanæ conſpiciuntur, ſine ulla dubitatione credendum eſt, iis ipſis nimirum ſuis, non externis litterarum characteribus uſum eſſe populum Judaicum. Quis enim ſibi perſuadeat ab ulla Natione, quæ libera fuerit, ſuiſque legibus vixerit, nummos qui ad uſus vitæ neceſſarios in populum ſpargebantur, præter morem omnium gentium ſignatos fuiſſe litteris ipſi populo minime notis? Aut ab Eſdra novum ſcribendi modum fuiſſe publice introductum, qui in monetis, quæ publica ſunt monumenta, ſervatus non fuerit?

Quod autem a nonnullis (*a*) dicitur, Hebræos duplicem ſcripturæ modum habuiſſe, alterum quo domi ad res ſacras & civiles, alterum quo foris ad commercium cum ceteris gentibus uterentur, id totum nihili puto. Purum enim putum commentum eſt Rabbinorum quorundam. Supponunt autem noſtrates litteras Judæorum fuiſſe eas, quibus domi utebantur, Samaritanas, quas ad commercium adhibebant. Hoc præterquamquod nullius momenti nititur auctoritate, & magnas habet difficultates & nullam probabilitatem. Quantum ad primum, ſi noſtrates litteræ ab initio Gentis fuerunt in uſu, Eſdras illas non introduxit: ſi dixerint Eſdram introduxiſſe, nemini perſuadebunt Scribam divino ſpiritu afflatum, legis diligentiſſimum ſervatorem litteras a profano & inimico regno deſumptas tradere vel voluiſſe vel etiam potuiſſe populo, qui alias haberet, & quod maximum eſt, ſacris rebus admiſcere. Quantum ad alterum de Samaritanis characteribus, ſi illi non erant proprii nationum, cum quibus res erat Judæis, inutiles erant. Judæi enim ſuos habebant, ſuos item ceteræ nationes. Si autem erant proprii nationum fini-

(*a*) Conring. paradoxa de num. Hebr. c. 6. Capell. Diatr. de lit. Heb.

finitimarum, incredibile eſt & in rebus humanis inauditum, Rempublicam & Populum liberum viventemque ſuis legibus commodum & dignitatem nationum ceterarum ſuæ prætuliſſe in cudendis monetis: perinde ac ſi in pecunia recipienda non ſemper conſueverint homines ſignis & litteris neglectis unius materiæ valorem æſtimare. Incredibile pariter eſt Simonem, & alios fortaſſe Machabæos, quibus tribuuntur nummi Judaici, qui ad nos pervenerunt, Pontifices & Principes in Republica Judaica potentiſſimos, qui monetam cudebant propterea quod *ablatum* contenderent *jugum gentium* (*a*), gentium ipſarum litteris in monetis uſos eſſe, cum jam ſuas haberent. Poſtremo quæro cur Machabæi pecuniam Græcis litteris non ſignarent illo ævo jam notiſſimis, totique Orienti communibus? ut ante Simonem Machabæum annos amplius centum feciſſe Parthorum Reges Arſacidas novimus, qui neglectis plerumque popularibus litteris pecuniam Græcis ſignavere.

Novum eſt item illud, quod ajunt, Hebræos præter litteras ſuas gentiles, negotiationis & commercii gratia alias habere voluiſſe. Poſt homines natos nulla natio fuit, eritve dum homines erunt, quæ minus veteribus Hebræis fuerit negotiata, vel mercatura eguerit. (*b*) Univerſos enim Iſraelitas Deus agriculturæ deſtinaverat, & a multis artibus abſtraxerat, quæ luxuriem alunt, & cum innocenti vita non cohærent. Judæa autem regio quam maxime ferax & opulenta omnia fere, quæ ad victum humanum ſunt neceſſaria, ita copioſe ſuppeditabat (*c*) ut multa ex-

(*a*) I. Mach. 13. 14. Joſeph. l. 13. c. 11. antiq.
(*b*) Joſeph. οὐκ ἐμπορίαις χαίρομεν οὐδὲ ταῖς πρὸς ἄλλους ἐπιμειξίαις *non gaudemus mercimoniis neque peregrinationibus.* contr. Ap. l. 1.
(*c*) Ezech. 27. 17.

exportarentur ad exteras nationes, Hebræi paucis indigerent. Quo fiebat ut multo plus auri argentique inferretur, quam exportare ad merces externas coëmendas opus eſſet. Concludam ergo non Hebræos exteris gentibus morem gerere debuiſſe in lignanda pecunia, ſed potius finitimis habendam fuiſſe rationem Hebræorum. Liberalius tamen agamus: demus ſi placet, Hebræos commercii cauſa cum exteris gentibus, æs & argentum ſolitos fuiſſe ferire, quæro cur appoſitis exterorum ut volunt litteris, ſuas etiam non addiderint, more finitimarum aliarumque gentium? Video Tyrios ſuis & Græcis litteris pecuniam ſignaſſe: ſuis item & Græcis ſignaſſe Sidonios. Syracuſani ſuas & Chartaginienſes aliquando adhibuerunt, ſuas & externas aliquando Romani, & Hiſpani (*a*) Græci ſuas & latinas uſurpavere: notiſſimi ſunt enim nummi bilingues. Nummum Judaicum qui duo litterarum habeat genera non vidimus. Finem non inveniet ſermo, ſi refutare voluero ſingulatim omnia, quæ temere a Rabbinis in hanc rem ſcripta ſunt.

Hactēnus alienas opiniones convellere conati ſumus: nunc noſtras breviſſime afferemus. Primo igitur nego litteras Samariticas, quibus ante captivitatem Babylonicam uſi ſunt Hebræi, fuiſſe ullo tempore publica auctoritate deſertas & antiquatas. Sicli enim ut diximus tempore Machabæorum percuſſi probant in uſu fuiſſe litteras Samaritanas ea ætate; & argumento huic a monetis his deducto nemo hactenus ita reſpondit, ut illud ſolveret aut infirmaret. Uſos etiam Judæos hiſce litteris poſt Chriſtum, & dirutam funditus a Tito Auguſto Hieroſolymam arguit Siclus Drachmalis (ſi tamen certo antiquus eſt) ſigna-

(*a*) Theſ. Morell. in gente Fulvia & Afrania.

gnatus nomine Simonis Barcocebæ (*a*) qui Hadriano Imperatore maximas fecit turbas in Judæa. Quamvis autem ſolum Simonis nomen habeat, quod Machabæo commune eſt, non Machabæo ſed Barcocebæ tribuitur, quia etiamnum in argento veſtigia litterarum extant, quæ hanc ipſam monetam indicant denarium Trajani Auguſti antea fuiſſe. Et tu, inquiet aliquis, in hanc ætatem rejicis litteras noſtrates Judæorum? Ego vero longe antiquiores cenſeo, & ante ipſos Machabæos in uſum Judæorum veniſſe. Cum populus Hebræus a ceteris nationibus ſegregatus ſub poſterioribus Regibus ſibi viveret, in lege & ſacris codicibus volutandis negligentius egiſſe nonnulla teſtantur (*b*). Poſt captivitatem vero Babylonicam præſertim inſtituta Phariſæorum ſecta, (*c*), quę notitiam divinarum rerum exquiſitiorem profitebatur, multiplicatiſque Scribis, quorum erat ſacra volumina tractare, Judæi cœperunt legem & ſacros libros frequenter ad manus habere & deſcribere, non ſine divino conſilio tum maxime, cum a Gręcis Ægypti & Aſię dominis bella & incommoda paterentur identidem, crebriſque admonitionibus Prophetarum indigerent ad divinum cultum retinendum. Ex multiplici ſacrorum librorum deſcriptione, & ex quotidiano uſu ſcribendi factum eſt, ut veteres characteres, qui plerumque non uno aut altero calami ductu conſtant, paululum immutari cœpti ſint, & ad ſimpliciorem redigi formam. Atque hęc mutatio eouſque proceſſit, dum litteræ, quas Judæi nunc habent, efformatæ ſint; quemadmodum

po-

(*a*) V. hiſt. Acad. des inſcript. & bell. lettr.
(*b*) II. Paral. 34. 14.
(*c*) Joſeph. ant. Jud. l. 18. c. 2. paulo poſt Herodis mortem de tribus Judæorum ſectis agit, aitque ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου ortas.

posteriores Judęi ex quadratis litteris characteres, quos Rabbinicos vocamus, effecerunt. Ex observatione diligenti litterarum quę sunt in siclis, hęc mihi opinio nata est. Video enim in siclis nonnullas ex litteris nostratium Judæorum permixtas vetustis; video easdem vetustas litteras aliquando ita esse exaratas, ut a quadratis seu nostratibus distent plurimum, aliquando ita effictas, ut minimum distent: video nonnullas quę in antiquo alphabeto similes inter se sunt, in nostrate itidem similes esse, ut Daleth & Res, He & Heth: video denique aliquam in utroque alphabeto eandem semper esse. Notatio variarum figurarum cujusque litteræ quam mox afferemus, declarabit id manifeste. Ex his certissime colligo differentiam totam, quanta tandem est inter veteres Hebræorum litteras seu Samaritanas, & eas quas nunc habent Judæi, ex usu & celeritate scribendi, non vero aliunde profectam esse. Ex his pariter explicatur commode quod ait Origenes: (*a*) *in accuratioribus exemplaribus* Bibliorum Hebraicorum *nomen Dei* (τετραγράμματον) *scriptum esse hebraicis litteris, hebraicis quidem antiquis, non autem hodiernis.* Judæi enim, qui religione quadam se teneri putabant, quin pronunciarent nomen istud, eadem existimarunt se impediri quominus illud scribentes litteris recentioribus quodammodo profanarent. Has vero si Esdras θεόπνευστος, aut Synagoga magna introduxisset, non video cur divino nomini scribendo non crederentur idoneæ.

Quęret fortasse aliquis, cur Esdrę mutatio hæc litterarum tributa fuerit? neque enim ex nihilo videtur

(*a*) In scel. in psal. 2. T. 2. p. 539. ed. Monach. S. Maur. ἑβραϊκοῖς δὲ ὐ τοῖς νῦν ἀλλὰ τοῖς ἀρχαιοτάτοις. Idem habet S. Basilius de Spir. Sancto c. 18.

tur esse tam vetus & constans opinio. Neminem esse puto in hoc studiorum genere mediocriter versatum, qui ignoret, quam multa a Rabbinis inventa tribuant Judęi sacris Testamenti veteris Patribus. Nihil novi antiquis eorum ritibus accessit, nihil in sacris Bibliis describendis est innovatum, quod Moysi, Esdrę, Synagogę magnę nolint tribuere. Ipsas Talmudis leviſſimas traditiones vel ridiculas doctrinas Cabbalæ sacris antiquæ legis Patribus, & scriptoribus referunt acceptas. Ita cum a Scribis & librariis celeritatis causa litteræ veteres in eas, quæ nunc sunt in usu, fuissent commutatæ, maluerunt illud Judæi honesto Esdræ nomine ornare. Turpe enim visum esset nationi superbissimæ, quæ adhuc Liberatorem sibi pollicetur, & regna mente agitat, litteras usu majorum suorum consecratas reliquisse, nisi novis etiam auctoritas accessisset hominis divino spiritu pleni. Hæc autem opinio cum antiquior Origene non sit, idest altero seculo a Judæa capta, dispersa jam & perdita natione sacrisque amissis in servitutem generis humani redacta, non video quomodo vetus dici possit. Sed ne constans quidem videtur appellanda. Quamvis enim plerique Rabbini hoc teneant, non defuerunt inter eos, qui affirmarent characteres antiquos nunquam fuisse mutatos. (*a*) Alii vero retulere *Esdram leviores* tantum *litteras excogitasse sub nominibus earum, quas eatenus habuerant, quibus velocissime librorum copiam .... reficeret* (*b*). Postremo si quis comparaverit litteras Samaritanas, quales sunt in Bibliis Polyglottis Parisiensibus & Anglicanis, cum litteris Siclorum, ab his non minus inveniet differre, quam ab his discrepent quadratæ Bibliorum Judaicorum.

(*a*) Capell. diatr. de lit. Hebræ.
(*b*) Beda exp. in Ezram lib. 2. c. 9.

rum. Aleph Jod Pe Tſade Tau in libris Samaritanis impreſſis omnino aliæ ſunt ab iis, quas habemus in ſiclis. Nemini tamen venit in mentem dubitare, num certo tempore vel auctore mutatæ ſint: omnibus enim perſuaſum eſt hanc diſſimilitudinem litterarum a librariis extitiſſe. Sic ſupervacaneum erit ad magna nomina, & publicam auctoritatem confugere, ut ratio reddatur de varietate ſcribendi apud Judæos, cujus exemplum obvium eſt in cognata natione.

Accedamus tandem ad figuras litterarum Hebraicarum, quas deſumpſimus ex ſiclis. Duo ſunt in Tabella noſtra, quorum primus eſt in Muſæo Inſtituti ſcientiarum Bononienſis. Ceteros, quibus uſi ſumus, collegit ex Villalpando, Hottingero, aliiſque ſcriptoribus, & Muſæis nonnullis & incidendos curavit Jo. Bapt. Ottius Tigurinus, cum litem de Siclorum inſcriptionibus haberet cum Relando. Nonnullos etiam edidit Sam. Deylingius in obſervationibus ſacris in Vetus & Novum Teſtamentum. Ex his deſumptæ ſunt litterę Tabellę, quas decem & octo deprehendimus; deficiunt enim Zain Teth Caph Samech. Quemadmodum nunc primum littera Pe prodit in lucem, ita venturę ętates fortaſſe illas etiam proferent.

Aleph prima & altera in multis ſiclis reperiuntur. Ex figura alterius nomen inditum litterę: repręſentat enim cornua bovis, qui hebraice eſt אלף. Quo nomine vocatum eſſe bovem etiam a Phœnicibus teſtis eſt Plutarchus *ſympoſ. lib. 9. q. 2.* Tertia in Siclo Bononienſi quam ſimillima quadratæ Bibliorum Judaicorum.

Beth prima in quarto ſiclo Ottii argenteo, altera in tertio argenteo ejuſdem, ſurſum tamen verſa, tertia in Bononienſi. Ut quarto loco allatæ rationem reddam, explicandus eſt ſiclus alter Tabellę noſtrę. Eſt is apud Harduinum *Tab. 7. Tom. 1.* inter eas quę

que in Plinium commentatus est, cum illum edidit iterum Parisiis anno 1723. De eo agitur etiam apud Soucietum in dissertationibus Criticis, & pariter est in observat. litter. Veronę impressis Tom. V. Singularis est & maxime insignis; quippe ostendit Hebræos a sinistra ad dextram aliquando scripsisse more nostro; cujus rei unicum est quod equidem sciam exemplum. Hinc legitur שְׁנַת אַחַת לִגְאֻלַּת יִשְׂרָאֵל *anno primo redemptionis Israel*. Verba לִגְאֻלַּת יִשְׂרָאֵל pendent a ceteris ex vi phrasis hebraicę: Genes. 7. 11. בִּשְׁנַת שֵׁשׁ-מֵאוֹת שָׁנָה לְחַיֵּי נֹחַ *in anno sexcentesimo annorum vitæ Noe*: itemque chaldaicæ Daniel. 9. 1. בִּשְׁנַת אַחַת לְדָרְיָוֶשׁ *in anno primo Darii* (*a*) & versu seq. בִּשְׁנַת אַחַת לְמַלְכּוֹ *in anno primo regni ejus*, & alibi sæpe. Altera pars Sicli facile explicatur, si ut dixi, advertantur voces a sinistra dextrorsum procedere. Sic deprehenduntur tres voces. Prima & altera littera sunt aleph & lamed, אֵל *Deus*: Tertia hain. quarta koph, cujus corpus sive sinus quadratus est, & pes incurvus, & differt a sequenti Res, עָקַר *extirpavit eradicavit abstulit*. Postrema vox בֵּיקָב sine articulo יְקָב occurrit semel in Bibliis psalmo 54. heb. 55. v. 23. Pagninus, & Buxtorfius interpretati sunt *onus pondus sarcinam*; Chaldæus Paraphrastes habet כִּדְנָךְ, quam vocem Nubiensis (*b*) pariter explicat *onus tuum* a כָּבַר *portare*. LXX. μέριμνάν σου: μέριμνα significat *curam* non quamcunque, sed *anxiam molestam* affli-

(*a*) Darium Orientales dicebant *Dariaves*. Herodotus lib. 1. n. 130. monet apud Persas nomina magnifica delitisse in s: Et Strabo l. 16. Græcos corrupisse nomina Barbarorum, & Δαρεῖον dixisse, cum Δαρήλῳ oportuisset. Plures ibi emendarunt Δαριάνλῳ.

(*b*) Augustinus Justinianus Ord. Prædic. Episcopus Nubiensis psalterium edidit Genuæ anno 1516. Hebraice Græce Chaldaice Arabice cum latina interpretatione cuiusque textus, eoque nobili exemplo præivit Ximenio, & ceteris, qui Biblia Polyglotta confecerunt.

affligentem, ut ex etymologia definit Servius in 1. Æneid. quæ *cor urat*. Antiqua Verſio Italica *cogitatum tuum* (*a*): qualem injicere ſolet vel præſens egeſtas, vel fames futura, cujus ſenſus & aſpectus non poteſt non eſſe horridus, præſertim inexpertis. Sententia ergo inſcriptionis eſt. *Deus eradicavit extirpavit* vel *abſtulit onus* vel *afflictionem*. *Anno primo redemptionis Iſrael*. Confirmat hanc interpretationem illud I. Machab. 13. 41. Anno *centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt jugum Gentium ab Iſrael, & cæpit populus Iſrael ſcribere in tabulis & geſtis publicis anno primo ſub Simone ſummo Sacerdote magno & Principe Judæorum*.

Gimel prima in omnibus Siclis: altera in Siclo quarto Deylingii part. 3. Tab. 3. Hæc figura videtur nomen litteræ dediſſe a גמל *camelo* gibbero animali: tertia in Pentateucho Samaritano.

Daleth in tertio Siclo argenteo Ottii, altera in nummo Sidonio Regis Demetrii muſæi Bonon.

He in omnibus Siclis. Cum in litteris Siclorum ſimiles ſint he & heth, ſunt etiam ſimiles in quadratis noſtratium Judæorum.

Vau prima in multis Siclis: altera in Bononienſi: tertia in nummo Sidonio ſupraſcripto, quarta in decimo octavo Ottii & repræſentat uncinum: וו Vau enim latine *uncus uncinus* eſt: quinta in vigeſimo ejuſdem.

Zain

Heth in plurimis: altera in decimo octavo Ottii inferne aliquantulum aperta efficiet ח: tertia in ſexto Deylingii

Teth

Jod in plurimis; altera in decimo ſeptimo Ottii

&

(*a*) Miſs. Rom. fer. V. cit.

& in ſecundo Tabellæ noſtræ non parum mollita, & accedens ad Jota Græcorum: Tertia & quarta in eodem. Puto enim in infima Sicli ora litterulam Jod eſſe, ita ut ſit pars vocis ſuperioris propter anguſtias de loco ſuo dejectam מַשָּׂאִי *onus meum, curam meam*. Si quis hoc reprehenderit, quia nominibus cum affixo non ſolet præponi articulus, facile erit adductis exemplis ſcrupulum evellere: monendus erit præterea tardiori ætate Machabæorum elegantiam linguæ minus eſſe quærendam. Poſſet tamen quis malle jod initium eſſe repetitæ vocis Iſrael.

Caph

Lamed in Siclo Bonon. & alibi utraque: tertia in nummo Tyrio Muſæi Bonon. referente hinc caput Herculis Tyrii, de quo mentio eſt II. Machab. 4. 19. hinc monogramma Urbis & epocham ΚΣ & in nummo Sidonio Demetrii Regis. Nomina Urbium Tabellæ appoſita ſunt litteris Phœniciis accurate deſcriptis: quarta in ſexto Deylingii: quinta in quinto ejuſdem; ſexta in decimonono Ottii.

Mem in multis ſiclis: altera in decimo ſeptimo Ottii.

Nun prima in Siclo Bianchinii (*iſtor. univerſ.*) ſecunda in Siclo memorato Academiæ Pariſienſis, tertia in ſeptimo & octavo Ottii.

Samech

Hain prima in Siclo Bonon. altera in altero tabellæ noſtræ: repręſentant oculum, qui עַיִן *hain* hebraice dicitur: tertia & quarta rotundiores in multis ſiclis: quinta in tertio argenteo Ottii ſurſum verſa & Pentateucho Samaritano.

Pe in Bononienſi tantum: qui primus omnium, quos viderim, figuram hujus elementi habet: ideoque harum rerum amatoribus in numero monumentorum illuſtrium collocandus. פ ס *Pe* & *Sin* initia

ſunt

ſunt vocum פֶּסַח שְׁנַת, *Paſcha* ſeu initium (a) *anni* אַרְבַּע *quarti* ab ablato jugo Gentium commemorat nummus. Confirmat noſtram interpretationem manipulus, qui in nummo eſt, primitiarum & frugum in Paſchate offerri ſolitus, quo teſtabantur Hebræi a Deo ſe terram uberrimam accepiſſe. Deuter. 26. *tradidit nobis* (Deus) *terram lacte & melle manantem, & idcirco nunc offero primitias frugum terræ quam Dominus dedit mihi*. In averſa parte לְחֵרוּת צִיּוֹן *liberationis Sion*. Antiochus enim memoratus edixerat *Jeruſalem Sanctam eſſe liberam*. Calix vel urna habens manna deſignat exitum populi de Ægypto, & iter per deſertum. In poſtremo Siclo Ottii ex Muſęo Formontiano petito videre eſt manna de cælo cadens in duos calices. Convenit figura hujus litteræ ſuo nomini. Etenim vox פֵּ *Pe* eſt *vultus* vel etiam *acies*. Si hominem non verſum aut adverſum, ſed obliquum aſpexeris, videbis hinc caput recta deſcendere ad cervicem et collum, hinc frontem et naſum eminere, os autem et mentum recedere: has quaſi lineas capitis et vultus humani refert hęc littera פ.

Tſade prima in vigeſimo primo Ottii; altera in Bonon. tertia ut puto in trigeſimo Ottii; quarta in nummo Tyrio; quinta in Sidonio.

Koph ſemper eadem eſt.

Res ſecunda in altero Siclo tabellę; tertia in nummo Tyrio. Repeto Daleth & Res in alphabeto hebraico veteri ſimiles eſſe, in Bibliis Judaicis pariter ſimiles.

Sin utraque in multis

Tau prima in pluribus: altera in undecimo & duobus ſequentibus Ottii. E prima figura nomen litterę datum. תּ enim *ſignum* eſt: et nos cum aliquid etiam imprudentes ſignamus, duabus lineis decuſſatim impreſſis notare conſuevimus.

Vo-

(a) Paſcha ſeu menſis et luna, qua Paſcha celebrabatur, initium erat anni ſacri. *Exod.* 12.

VOlenti mihi aliquid etiam de litteris Græcis earumque antiquis figuris dicere obvium eſt initio, quod multi affirmant Græcos olim ſexdecim tantum litteras habuiſſe: reliquas octo additas fuiſſe deinceps. Plinius rem confirmat, aitque litteras a Cadmo in Græciam allatas e Phœnice ſexdecim numero, quibus Palamedes adjecit quatuor Θ Ξ Φ X, totidem Simonides Z H Ψ Ω. Initium ſit a vocalibus longis H, & Ω. Earum inventor dicitur Simonides cognomento Melicus poeta celebris fato functus, ut teſtatur Suidas, Olympiade LXXVIII. Habuerant & ante Simonidem Græci earum ſonum; verum iiſdem litteris E & O breves æque ac longas ſcribebant. Ad diſtinguendam ergo pronunciationem introductæ ſunt. Illarum tamen figura minime nova fuit. Siquidem H erat antea apud Græcos, valebatque aſpirationem quæ præponebatur ſolum iis vocibus, quæ nunc ſpiritu aſpero prænotantur, ut infra oſtendetur. Ω vero primum fuit O cui ſuppoſita erat parva linea; evaſit deinde celeris ſcriptionis gratia Ω, qua nunc utimur. Commode nummi Sicilienſes oſtendunt, has vocales longas non multo ante Olympiadem ſuprascriptam uſurpari cœptas eſſe. Syracuſis enim diu vixit Simonides, & Hieroni, qui poſt fratrem Gelonem in Sicilia regnavit, familiaris fuit. Erit, ut opinor, operæ pretium confirmare monumentis antiquis ea, quæ ſcriptores habent, & viciſſim horum auctoritate,

quantum fieri poteſt, ætatem indicare aliquōt nūmorum, qui unum urbis nomen habent.

Primus in muſæo Bononienſi & antiquiſſimus eſt nummus Meſſanenſium argenteus didrachmus, in quo eſt hinc vox DANKLE & Delphin, hinc area in novem partes, ſeu hortus in novem areolas diſtinctus, quarum media Cacti fructum habet. Cactus autem planta peculiaris erat Siciliæ, cujus Theophraſtus (*a*) meminit: & Athenæus (*b*) in alias regiones translatam putat noſtratem Cinaram, vel Carduum altilem eſſe. Oſtentabant nimirum Zanclæi, qui Meſſanenſes poſtea dicti ſunt, hiſce piſcis incurvi & Cacti argumentis opes, quibus ſe natura donaſſet, portum videlicet pulcherrimum, & agrum communibus & peculiaribus frugibus feracem. Nummum primus edidit Paruta non nihil diſcrepantem: loco enim ſcaliæ (ſic enim Siculi fructum hunc nuncupabant) caput habet humanum. Mentionem ejus facit etiam Montfaucon in Palæographia Græca, & judicat *diu ante rem Romanam cuſum*. Vereor tamen, ut id perſuadeat veterum monumentorum ſtudioſis. Hi enim negant nummos tantæ antiquitatis ſupereſſe, & omnium vetuſtiſſimos eſſe opinantur nummos Amyntæ Macedonum Regis, quem nonnulli Cambyſi & Dario Hyſtaſpis filio æqualem putant, & Olympiade LXIX. fato functum eſſe, dicit Euſebius in Chronico, ideſt circa annum Romæ Conditæ CCLIV, cum tamen alii in ſeculum ſequens ejus tempora rejiciant (*c*). Non aberramus a propoſito, cum quærimus, quid ſtatui poſſit de ætate nummi.

Satis

(*a*) Hiſt. pl. lib. 6. c. 4.
(*b*) Lib. 2. dipn.
(*c*) Ex Juſtino lib. 7. qui Regum Macedoniæ ſeriem multo breviorem affert & Amyntam ſextum a Carano primo Rege ſtatuit. Si quis tamen ſentiret, nummum Amyntæ ſpectare ad alterum, qui fuit Alexandri M. avus, non ita facile eſſet eum probabili ratione de ſententia ſua deducere.

Satis conſtat Meſſanam olim dictam eſſe Zanclam: qua vero occaſione Meſſanæ nomen adepta ſit, multi tradidere. Thucydides initio libri VI. de bello Peloponneſiaco in Siciliam translato acturus populos ejus inſulæ deſcribit, urbeſque in ea ſitas. Meſſanam ait dictam antea a Siculis populari vocabulo Zanclam, ſeu falcem a figura littoris, in quo jacet. Alii atque alii populi Cumæi Italia, Chalcidenſes Euboeæ profecti, demum Samii urbem tenuere. *Nec ita multo poſt Anaxilas Rheginorum Tyrannus exterminatis Samiis urbem promiſcuis hominibus frequentem reddidit, & a ſua quondam patria Meſſenem* (ſeu ut fert Doricæ dialectus Meſſanam) *appellavit*. Paulanias in Meſſen. totam rem multis perſequitur. Τὸς δὲ Σαμίες Ἀναξίλας Ῥηγίνων τύραννος ὀ πολλῷ ὕςερον &c. Anaxilas, inquit, Rhegii Tyrannus pronepos fuit Alcidamidæ Meſſenii, qui olim ſe contulerat Rhegium popularibus ſuis primo Meſſeniaco bello a Spartanis devictis. Cum autem poſtea Meſſenii contra Spartanos bellum redintegraſſent, eoque multis annis geſto rurſus ſuccubuiſſent, & ſolum vertere compulſi errarent ſedibus incertis, Anaxilas miſit, qui Gentiles ſuos in Italiam accerſeret: hoſpitio receptos docuit, perpetuum ſibi eſſe bellum cum Zanclæis, qui poſſiderent uberem agrum, urbemque opportuno Siciliæ loco: hæc omnia conſecuturos, ſi ſua opera uti velint. Probato conſilio Meſſenii in Siciliam traducti prælio terreſtri, Anaxilas navali fudere Zanclæos. Victi victoribus urbem & domicilium communicare coacti ſunt: ὄνομα δὲ τῇ πόλει μετέθεσαν Μεσσηνίων ἀντὶ Ζάγκλης καλεῖσθαι, *& mutato nomine Zanclam Meſſenem appellari*. Hæc Pauſanias. Quo Meſſanæ nomine deinde nuncupata eſt, donec Mamertini Italica gens, quæ ſub Agathocle ſtipendia meruerat, vi occuparunt urbem (*a*) vel ut

(*a*) Polyb. lib. 1.

alii referunt (*a*) in eam ex conventu recepti ſunt, & in unum populum coaleſcentes potius Mamertini (*b*) quam Meſſenii vel Meſſanenſes dici voluerunt. Inde ſecutum eſt primum bellum Punicum & tempora notiora. Adventus Meſſeniorum in Siciliam a Pauſania collocatur in Olympiadem XXIX. *Hæc geſta ſunt undetriceſima Olympiade, qua iterum vicit Chionis Lacon Archonte Athenis Miltiade*. Additamentum Olympionicæ & Archontis viceſimam nonam ipſam Olympiadem ita confirmat, ut nulla ſubeſſe poſſit ſuſpicio de librariorum errore. Et Pauſanias illa contigiſſe omnino cenſuit ætate a communi hominum recordatione valde remota. Alibi enim (*c*) ut probaret, quendam inter artifices antiquiſſimos eſſe numerandum, fuiſſe illum ait antequam Zanclæ nomen Meſſanæ eſſet inditum; & paulo ante *ἐπίγραμμα τὸ ἀρχαῖον* inſcriptionem, quæ Meſſeniis (*d*) pueris poſita erat, *veterem* appellavit inter infinita monumenta per multa ſubinde ſecula Diis & hominibus in Elide conſtituta.

Pauſaniæ videtur adſtipulari Juſtinus, cujus locum ex lib. IV. totum opus eſt deſcribere, ut ratio temporis conſtet. *Sicilia ..... a principio patria Cyclopum fuit: quibus extinctis Æolus regnum inſulæ occupavit: poſt quem ſingulæ civitates in tyrannorum imperium conceſſerunt ..... Horum ex numero Anaxilaus (e) juſtitia cum ceterorum crudelitate certabat, cujus moderatio haud mediocrem fructum tulit. Quippe decedens cum parvulos*

(*a*) Feſt. V. Mamertini & excerpt. lib. 21. Diodor. Sic.
(*b*) Strab. lib. 6.
(*c*) In Eliac. pr.
(*d*) Amaſæus noſter inopportune Mamertinos vertit, qui Græce ſunt Μεσσηνίοι.
(*e*) Anaxilas Anaxilaus Anaxileus: varietas ejuſdem nominis ex differentia dialectorum profecta.

vulos filios reliquiſſet, tutelamque eorum Mycitko ſpectatæ fidei ſervo commiſiſſet, tantus amor memoriæ ejus apud omnes fuit, ut parere ſervo quam deſerere filios Regis mallent ..... Imperium Siciliæ etiam Chartaginienſes tentavere: Ad poſtremum amiſſo Hamilcare cum exercitu quievere victi. Vides hic Anaxilaum ætate anteire adventum Chartaginienſium in Siciliam, & poſtremo loco poni pugnam ad Himeram, qua Hamilcar periit, & Pœni a Gelone fuli ſunt. Cum itaque ex illa Pauſaniæ ſententia Meſſenii dicantur veniſſe in Siciliam, novumque Meſſanæ nomen impoſuiſſe Olympiade XXIX. quæ in annum Romæ Conditæ circiter nonageſimum incidit, annis prope ſuperioribus, pauloque ante eos dies cudi potuit noſter nummus. Non video ergo, qua ratione ſtatuatur ex appellatione urbis Zanclæ nummum diu ante rem Romanam cuſum.

Malim equidem, ſi per ceteros rerum Græcarum Scriptores liceret, in ea eſſe ſententia, quæ nummum antiquitate parem primis Romæ Regibus faceret. Neque me deterreret ipſa nummi elaborata concinnitas antiquitate tam longinqua. Quis enim eſt, qui ignoret quanto ingenio ad artes omnes excolendas Siculi abundaverint? Militaris virtutis ſpecimen clariſſimum ſuppeditat Gelo, qui Pœnos ad Himeram non minori gloria vicit, quam Pauſanias & Themiſtocles Perſas eodem tempore fugarunt, cum illi interea prudentiam Gelonis imitari poſt victoriam neſciſſent. (*a*) Sin autem pacis quam belli malumus exempla, habemus eloquentiam Gorgiæ & Tiſiæ Leontinorum, quos cum apud ſe publice elocutos audiviſſent Athenienſes jam tum ingenioſi & eloquentiæ dediti, obſtupuiſſe dicuntur. (*b*) Athletas etiam plurimos habue-

(*a*) Diod. Sic. lib. 11.
(*b*) Id. lib. 12. Pauſan. Eliac. poſt.

re Siculi certaminum in Olympia victores. Immerito ergo putaremus horum majores neſciſſe pecuniam affabre ſignare. Verum auctoritas Herodoti & Diodori Siculi in cauſa eſt, cur multo tardius hæc contigiſſe credamus, quam Pauſanias ſcripſerit. Is enim non procul aberat ab ætate, qua hæc contigerunt, ut dicemus, & alterum Siculas res noviſſe, & ſcripſiſſe accuratius probabile eſt.

Herodotus meminit urbis Zanclæ libro VI. quam a Samiis occupatam refert hortatore Anaxileo Rhegii Tyranno, cum forte fortuna vacua eſſet habitatoribus ad bellum profectis: Zanclæi auxilium ab Hippocrate Gelæ Tyranno implorantes proditi Samiis turpiter fuerunt, & Scythes antea Zanclæ Tyrannus ad Darium Hyſtaſpis Regem Perſarum confugit. Ita Zanclam Samii tenuere. Narrantur hæc ab Herodoto ante pugnam Marathoniam, ideſt ante annum tertium Olympiadis LXXII. ſeu annum Romæ Conditę CCLXIV. paucis poſt annis quam Anaxileus Tyrannidem Rhegii occupaverat. Iterum libro VII. illata mentione de Cadmo quodam in Græciam miſſo a Gelone Syracuſanorum Tyranno memorat urbem Zanclam, additque Ζάγκλῃν τὴν ἐς Μεσσήνην μεταβαλοῦσαν ὄνομα, *Zanclam in Meſſanam nomine commutatam*. Suaſunt & huic loco indicia Chronologica: legati nimirum Græcorum, qui ad Gelonem venerant oratum, ut ſibi ferret opem contra Xerxem, itidemque Hamilcar Pœnus in Siciliam cum fortiſſimo exercitu profectus, cui filios ſuos Anaxilas obſides dederat; annus videlicet erat, qui proxime præceſſit celeberrimas pugnas Salaminiam in Græcia, & Siculam ad Himeram, ſeu primus Olympiadis LXXV. Urbis conditæ circiter CCLXXIIII. ſerius quam Pauſanias ſcripſit annos centum octoginta quatuor. Cum hæc agerentur, Herodotus vivebat. Gelli-

lius (*a*) enim e Pamphila (*b*) ait Hellanicum annos natum LXV. Herodotum LIII. Thucydidem XL. cum cœpit bellum Peloponneſiacum. Hujus initium nonnulli referunt in Olympiadem LXXXVII. alii in ſequentem rejiciunt: utcumque res ſit Herodotus quamvis tum puer in vivis erat, & hæc a pluribus non potuit non intellexiſſe, præſertim cum Thuriis diu vixerit, (*c*) quæ urbs Rhegio & Meſſanæ proxima erat.

Diodorus in Olympiadem LXXVI. collocat mortem Anaxilæ Rhegii & Zanclæ Tyranni poſt decem & octo integros annos quam imperare cœperat. Ejus filii in tutelam Mycitho traditi dominationem tenuere uſque ad annum IV. Olympiadis LXXIX. quo a Civibus imperio & urbe ejecti ſunt. Hactenus Zanclam & Zanclæos dicit Diodorus: mox Meſſanam Urbem & deinceps cives Meſſanenſes ſemper appellat. Non ergo ab Anaxila, inquiet aliquis, ſed aliquandiu etiam poſt ejus mortem nomen Meſſanæ datum eſt: Quemadmodum enim Diodorus Meſſanam vocat ſolum poſt expulſos a tyrannide filios Anaxilæ, ſi Anaxilas urbis nomen mutaſſet, jam tum Meſſanam Diodorus dicere cœpiſſet. Inſuper ab Anaxila & Meſſeniis ita potuit Zancla novum nomen trahere, ut veterem etiam appellationem retineret, eodemque tempore & Zancla diceretur & Meſsana. Hinc Plinius (nihil enim diſſimulo) nominat *Zanclæos Meſſeniorum in Siculo freto* (*d*). Verum eſto: fuerit Diodorus in ea ſententia: putaverit nomen Meſſanæ tributum eſſe ſolum poſt expulſos Anaxilæ liberos. Non continuo tamen ſequitur deſerendam videri ſententiam Herodoti Thucydidis & Pauſaniæ, qui novam hanc

(*a*) Noct. att. lib. 15. cap. 23.
(*b*) Pamphila fœmina Ægyptia hiſtoriam miſcellam conſcripſit: de ea Phot. Cod. 185.
(*c*) Strabo lib. 14.
(*d*) Hiſt. lib. 3. c. 8.

nuncupationem Anaxilæ tribuerunt: quorum auctoritas graviſſima eſt, & ætas Herodoti & Thucydidis rebus, quas narraverunt, proxima. Deinde quia Diodorus Zanclam etiam poſt mortem Anaxilæ dicit, non idcirco arguendum eſt, eum putaſſe tum ſolum Meſſanam dictam fuiſſe. Solent enim hiſtorici vel minus eſſe religioſi, vel minus diligentes in hujuſmodi appellationibus urbium vel locorum pro rerum & temporum varietate uſurpandis. Ita in Euſebii Chronico, ne longe ab hac eadem urbe petatur exemplum, tum cum primum conderetur, Meſſana vocatur, & tamen Meſſanæ nomen ſolum multis poſt ſeculis accepit: quod nulla ratione credendum eſt vel Euſebium vel Hieronymum ignoraſſe. Præter quamquod diſcrimen trium aut quatuor Olympiadum (tot enim ſunt a Tyrannide Anaxilæ ad popularem ſtatum a Zanclæis reſtitutum) tanti non eſt, ut a ſententia quam conſtituimus, nos dimovere poſſit. Nemini enim in veteri hiſtoria vel leviter verſato ignotum eſt, res & tempora Græcorum, quæ Philippum Macedonem antecedunt, & ſpeciatim peculiaria Urbium geſta, quippe hominum ſermone plerumque tradita poſteris, nemini ignotum eſt, quam varie narrentur a ſcriptoribus, quantiſque temporum difficultatibus plena ſint. Cum igitur de paucorum annorum numero ſit differentia, nihili eam facere licebit. Quod autem e Plinio allatum eſt, majus momentum habet: videtur enim Zanclæ nomen adhuc ſub Veſpaſiano Aug. ſuperfuiſſe. Cui argumento ut reſpondeam, nonnulla ex libro VI. Strabonis perpendenda ſunt: ex quibus conſtabit qua ratione intelligenda ſint, quæ de urbibus Siciliæ Plinius habet.

Strabo dum Siciliam deſcribit, breviſſime bella Romanorum in ea geſta commemorat Punica & Civile, quibus primo vaſtitas, deinde ſolitudo inſulę allata

lata eſt. Exciſæ & deſertæ dicuntur plurimæ urbes, quarum veſtigia tantum reſtabant. Naxus, Megara, Morgantia, & Camarina in eo numero fuerunt: & paulo infra, incolas non amplius habere Himera dicitur, non Gela, non Callipolis, non Selinus, non Euboea, non aliæ plures. Ut huic malo remedium afferrent Romani Τά τε ὄρη καὶ τῶν παιδίων τὰ πλεῖστα &c. *Montes & campeſtria plurima equorum paſtoribus, bubulcis, & opilionibus fruenda præbuerunt.* Coloniç pariter deductę ſunt Panormus, Syracuſæ, Meſſana, Catana, aliæque, quibus tamen rebus omnibus actis infrequens adhuc fuiſſe Sicilia videtur. Additur enim Καὶ δὴ καὶ καλεῖσιν αὐτὴν ταμεῖον &c. *Romæ horreum Siciliam vocavere: huc enim omnia ibidem nata comportantur, exceptis paucis quę incolarum uſus abſumit.* Hæc Siciliæ facies Strabonis ætate, qui in ea urbes & oppida numerat omnino viginti. At vero cum Plinium legimus, referta populorum Sicilia & plena incolarum occurrit. Habitabatur Himera, & Megaris, & Camarina: inter ſtipendarios Populi Romani numerabantur Naxii, Selinuntii, Gelani, Murgentini, aliique. *Coloniæ* in Sicilia, ait Plinius, (*a*) *urbes & oppida LXXII.* Cum itaque Zanclæi Meſſeniorum ſub Veſpaſiano Aug. commemorantur, credendum eſt in agro Meſſanenſi oppidum aliquod reſtitutum fuiſſe, cujus incolæ Zanclæi a veteriſſima urbis appellatione nomen haberent, quemadmodum plures urbes & oppida Plinii tempore inſtaurata fuerant, quæ ante centum annos nullos incolas habuerant. Ceterum Strabonis ætate Zanclæ nomen jamdiu antiquatum erat: κτίσμα, inquit, δ' ἐστὶ Μεσσηνίων &c. Ζάγκλη πρότερον καλουμένη. *Meſſenem condidere Meſſenii, qui Peloponneſum habitant, a quibus & nomen mutuavit: namque prius Zancla vocabatur.* Secus res cecidit, cum Mamertini urbem occuparunt. Utraque Meſſanæ & Mamertinæ ur-

(*a*) loc. cit.

urbis appellatio tunc ſervata eſt, & utriuſque nominis uſum promiſcuum paſſim apud hiſtoricos videre eſt.

Ut in viam tandem redeamus, quæ ab Herodoto, Thucydide, & Diodoro narrantur, ad rem noſtram ſpectantia ita componi poſſunt, & in Olympiadas referri.

	Anno	*Olympiade*
Anaxilas imperare cœpit	3	71.
Samii fugientes Perſas Zanclam veniunt hortatore Anaxila. *Herod. lib. VI.* anno qui præceſſit pugnam Marathoniam: is eſt	2	72
Nec ita multo poſt, ut inquit Thucydides, Anaxilas exterminat Samios; conjunctis viribus cum gentilibus ſuis Meſſeniis Zanclam capit, ut credibile eſt		73.
Zancla jam nuncupata Meſſana. *Herodot. lib. VII.* anno, quo Salaminia pugna contigit: eſt is annus	1	75
Gelo Syracuſanorum Tyrannus, poſt Siciliæ Rex moritur. *Diodor. lib. XI.* Hiero frater ſuccedit Geloni	3	75
Anaxilas completis XVIII. annis tyrannidis moritur relictis filiis. *ibid.*	1	76
Mycithus filiorum Anaxilæ tutor ratione reddita in Græciam abit. *ibid.*	2	78
Simonides Melicus moritur *Suid.*		78
Liberi Anaxilæ dominatu pulſi. *ibid.*	4	79

Re-

Relatis in ſuos annos rebus Meſſanæ geſtis idem agendum eſt in nummis ejuſdem urbis. Hoc præſtamus præcipue beneficio vocalium longarum, quæ, ut diximus, inventæ ſunt a Simonide, ceteriſque litteris adjectæ circa tempora Gelonis Siciliæ Regis. Fidem hujus rei faciunt nummi Gelonis, qui inſcribuntur ΓΕΛΩΝΟΣ per Ω, quique antiquiſſimi ſunt omnium, in quibus vocales longæ legantur.

Ante Olympiadem LXXIII. qua Meſſenii Zanclam venerunt, cuſus eſt nummus, cujus initio mentionem fecimus. Habet enim DANKLE ſeu ΖΑΓΚΛΗ, quo nomine ea urbs ad hanc uſque Olympiadem vocata eſt. Quam pridem vero cuſus fuerit, difficile eſt definire.

Poſt occupatam urbem a Meſſeniis ſeu ab Olympiade LXXIII. videntur cuſi argentei tetradrachmi, qui in antica parte currum habent a mulabus tractum, in poſtica leporem, inſcribunturque ME ϟ ϟ ENION (*a*) itidemque alii, qui a ſuperioribus in hoc ſolum diſcrepant, quod currus a ſingulari equo trahitur. Cuſi ſunt etiam per eos annos nummi ejuſdem ponderis & typi, qui ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ habent, cum Meſſenii ſeu Meſſanenſes aſſueſcerent Doricæ linguæ & characteribus litterarum, quæ in uſum Siculorum veniebant. Hi omnes, cum vocales longas non haberent, ſignati creduntur ante Gelonem a Siculis renunciatum Regem. Regnante vero Gelone, vel poſt Gelonem receptis jam & uſitatis vocalibus longis ſignati ſunt reliqui nummi, quorum inſcriptio eſt ΝΩΙΝΑƎƎƎΜ vel ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. Ii vero, qui ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ habent, poſt Agathoclem ſunt percuſſi, & ſpectant ad eandem urbem in poteſtatem Mamertinorum redactam.

Illud

(*a*) Explicat hos nummos ex Ariſtotele Julius Pollux lib. 5. c. 12. aitque Anaxilam Rheginum cum Olympia viciſſet curru, & aluiſſet in Sicilia lepores, qui antea non erant, utrumque monetæ inſculpſiſſe.

Illud hic omittendum non eſt, Meſſanenſes ita ſub tyrannide Anaxilæ fuiſſe, ut ſub imperio etiam Gelonis eſſent. Gelo enim poſt Himerenſem pugnam, devictis Carthaginienſibus totam ſibi Siciliam ſubjecit, Æliano teſte πᾶσαν ὑφ' ἑαυτὸν Σικελίαν ἐποιήσατο. (*a*) Idcirco eandem orthographiam ubique in uſu fuiſſe probabile eſt. Idem in nummis etiam indicatur. Nummus Syracuſanorum eſt apud Parutam, qui in antica parte caput habet diademate ornatum, cui appoſitus eſt tripus & vox ΣΥΡΑκοσίων, in poſtica leonem & clavam. Nemo non exiſtimavit caput Gelonis eſſe, & tripodem eum, quem Diodorus refert aureum XVI. talentorum Delphos miſſum a Gelone & Apollini dicatum; ita cupidis gloriæ etiam per ea tempora hominibus, ut ſi quid magnifice feciſſe ſibi viderentur, id quam ſæpiſſime poterant, glorioſe oſtentarent. Idem nummus paulo poſt occurrit nomine ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ inſcriptus. Si Meſſanenſes ſub imperio Gelonis non fuiſſent, non video cur ejus imagine pecuniam ſignaſſent, præſertim cum ne ſui quidem tyranni Anaxilæ vultu ſignare mos eiſdem eſſet.

Quantum ad litteram Z ſpectat, ex ſupraſcripto nomine DANKʟE manifeſtum eſt illam litteram, ſeu potius litteræ figuram apud veteres Græcos non fuiſſe, ut Plinius monuerat. Eadem caruerunt etiam antiqui latini: ſcripſerunt enim *Medentius* pro *Mezentius*, teſte Priſciano. Videtur autem primo a ſimplici D cœpiſſe diſcerni præpoſito Σ, ut in nummo Troezeniorum ΣΔΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ; (*b*) deinde expreſſam fuiſſe per veterem figuram litteræ Σ qualem videmus in inſcriptione Sigæa & Bimardiana, & tanquam novam litteram ceteris acceſſiſſe. A ſono ejuſdem litteræ Σ non

(*a*) Var. hiſt. lib. 6. c. 11. Vide Diodor. lib. 11
(*b*) Goltz. Græc. Tab. 10.

non multum abfuit, quod probant illa, ZMYPNAIΩN in nummo Smyrnæorum, KOZMω in celebri inſcriptione Palmyrena &c. Et viciſſim in alio nummo eſt KΛAΣOMENH urbs in Jonia pro Κλαζομένη (a) In eo nomine DANKlE obiter notanda eſt N quam poſteriores Græci cum erat ante ΓK & X ignotam nobis ob cauſam verterunt in Γ.

Ψ a Simonide ſimiliter inventa vocalibus longis paulo antiquior eſt. In nummis enim Selinuntiorum apud Parutam eſt ΞAΨTH vel HTΨAΣ. Ejus autem figura compoſita eſt ex Π & Σ colligatis.

ΘΞΦX quarum inventio tribuitur Palamedi videmus in antiquiſſimis monumentis præter Ξ quæ cum in Athenienſi Nointeliana inſcriptione (*b*) debuiſſet eſſe, pro ea XΣ fuit, quia Athenienſes nondum eam receperant.

De litteris generatim Plinius hæc habet. (*c*) *Litteras ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe: ſed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt. Utique in Græciam intuliſſe e Phœnice Cadmum ſexdecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hac figura* ΘΞΦX. *Totidem poſt eum Simonidem Melicum* ZHΨΩ: *quarum omnium vis in noſtris recognoſcitur. Ariſtoteles* X. *&* VIII. *priſcas fuiſſe* ABΓΔE ZIKΛMNOΠPΣTTΥΦ: *& duas ab Epicharmo additas* ΘX *quam a Palamede mavult.* Quatuor nationibus ait Plinius tribui *gloriam magnam inventionis litterarum*, Aſſyriis, Ægyptiis, Syris, Phœnicibus. Satis commode fit, ut cum his omnibus res aliqua fuerit Hebræis. Communes enim litteras & linguam cum Aſſyriis ſeu Chaldæis habuerunt, ut dictum eſt: diu vixere in Ægypto, Syriæ pars Judæa fuit, & Phœnicibus finitima. Ex vetuſtis litteris Hebræorum natas ſeu for-

(*a*) Wilde Tab. 25.
(*b*) Tota deſcribitur in antiquitat. Gall. ſcel. Maffei Viri Cl.
(*c*) Hiſt. nat. lib. 7. c. 56.

formatas eſſe litteras Græcorum probat luculenter Tabella noſtra, in qua hebraicis ſimiles ſunt vetuſtiſſimæ quæque Græcorum. Cumque veteres uno conſenſu tradant a Phœnicibus in Græciam litteras eſse allatas, videtur ſequi eaſdem fuiſse olim Hebræorum & Phœnicum litteras. In Græciam uſque fama percrebuerat Phœnices, qui attulerant Græcis litteras, non eſse earum inventores, ſed ab aliis accepiſſe: Φασὶ τὲς Φοίνικας ὐκ ἐξ ἀρχῆς ἐυρεῖν (a) & Tacitus. *Phœnicas ..... intuliſſe litteras Græciæ, gloriamque adeptos tanquam repererint, quæ acceperant*: acceperant videlicet ab Hebræis, qui ſub nomine Syrorum latent apud Diodorum ibidem. Σύροι μὲν ἐυρεταὶ γραμμάτων εἰσὶν &c. *Syri litteras invenerunt: ab iis autem edocti Pœnices Græcis tradiderunt, hi nimirum qui cum Cadmo in Europam navigaverunt*: Puto autem hanc famam de inventione litterarum apud Hebræos idcirco manaſſe, quod illi omnium Gentium primigenii fuere, quod clariſſime teſtantur eorum libri ſacri.

Quamvis autem Phœniciæ litteræ, quæ hodie occurrunt in nummis Tyri et Sidonis, diſcrepent multum ab hebraicis, credendum eſt mutatas eſse lapſu temporis, quemadmodum Samaritanæ mutatæ eſse deprehenduntur, cum tamen communis opinio ſit, etiam Samaritanos uſos antiquis litteris Hebræorum fuiſse. Certe S. Hieronymus (b) affirmat litteram Tau figuram crucis olim habuiſse, quę in veteri alphabeto Hebręorum eſt, in Samaritano nunc deſideratur. Unde maximo in errore verſari patet eos, qui cum hoc argumentum tractarent, Samaritanum Alphabetum deſcriptum ex codicibus ſibi propoſuerunt tanquam exemplar, ex quo deſumptas offende-

rent

(a) Diod. l. 5. Tacit. lib. 11.
(b) in Ezech. c. 9.

rent veteres litteras, quæ in Græciam ætatibus fabulosis translatæ sunt.

Sexdecim vulgo dicuntur litteræ, quas initio Græci ab Hebræis habuerunt. Totidem forte Hebræorum erant per eos dies. Nemo sex litteras וזטכסץ paulisper attendet, quin intelligat sine his Hebræorum sermonem potuisse exprimi, tantumque adjectas esse plenioris soni gratia. Aliis subinde litteris auctum est alphabetum Græcum. Aristoteles supramemoratus decem & octo priscas fuisse dicit litteras, additis scilicet z & Φ. Viginti litteras habuit alphabetum Epicharmi: totidem qui marmor Sigæum, (*a*) vel aliud veteris Athletæ a Bimardio (*a*) editum inscripserunt, habuisse crediderim. Inscriptio Nointelii Athenienſis viginti una exaratur. Tzetzes (*b*) primo sexdecim, mox decem & novem, tum XXII. demum XXIV. fuisse dicit. Ita a populis Græciæ variatum est, ut alii plures, pauciores alii litteras haberent. Samii & Jones (*c*) omnium primi XXIV. litteris usi sunt, Athenienses omnium postremi Olympiade nonagesima quarta Archonte Euclide. (*d*) Nointeliana enim inscriptio Olympiade LXXX. vel etiam post exarata caret Ξ Ψ & Ω cum tamen hæc vocalis sit in nummis Gelonis, & Ψ in antiquioribus Selinuntiorum. Ita alphabetum Jonicum primum ad omnes Græcos, postea simul cum lingua ad omnes Gentes dimanavit. (*e*) Tum numerus litterarum & figuræ, & ut planius loquar, alphabeta varia diligentius notata

(*a*) Primum editum est a Chisull, alterum a Bimardio in Thes. nov. inscrip. edito Mediol.
(*b*) Chil. 12. poes. 398.
(*c*) Suid. v. Σαμίων ὁ δῆμος: Samii autem Jonibus adnumerabantur.
(*d*) Euseb. in Chron.
(*e*) Plin. l. 7. c. 57.

tata ſunt, & a Gentibus, quæ iis uſæ ſunt, cognominata. Hinc apud veteres auctores litteræ Cadmeæ, Pelaſgicæ, Atticæ, Jonicæ.

Super quibus animadvertendum eſt, cum Græci dixerunt a Cadmo ſibi litteras fuiſſe traditas, uni tantum homini acceptum retuliſſe, quod a pluribus ut ego ſentio, traditum fuerat, unumque Cadmum prædicaſſe. Solebant enim antiqui Græci uni tribuere quod plurium hominum fuerat. Ita ex multis Regibus, qui ſapienter imperaverant, unum Jovem fecere, & ex pluribus viris fortibus vel ducibus ſtrenuis commenti ſunt unum Herculem vel Bacchum. Idem de Cadmo dicendum eſt. Non confugiam ad antiquas hiſtorias, ut confirmem non ſemel datas Græcis litteras, & plures Cadmos fuiſſe. Non commemorabo Cadmum Agenoris, qui litteras in Græciam e Phœnice primus dicitur intuliſſe: non alium quem ferunt una cum Danao ſe præbuiſſe ducem in Græciam hominibus ex Ægypto ejectis (*a*) eodem tempore, quo Moſes magnam mortalium multitudinem eduxit in Palæſtinam. Non abhorrent hæc a propoſito noſtro: ſunt tamen paulo obſcuriora. Litteræ ipſæ, quas in manibus habemus mihi ſunt argumento rem litterariam (*b*) ex Oriente non ſemel fuiſſe translatam in Græciam. Traditum eſt, inquiunt, Græcos utendas accepiſſe ſexdecim litteras. Probe. Quid ſi ſeptemdecim ex hebræis formatæ ſunt? Præter illas enim quindecim, quas in Hebræis facillimum eſt recognoſcere, H & Y pariter ex hebræis profectæ ſunt certiſſime, illa ex heth, hæc ex hain. Si igitur non ſexdecim tan-

(*a*) Excep. lib. 40. Diod. edit. Vechel.

(*b*) Οἱ Φοίνικες .... ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τὺς Ε''λλωας κ᾽ δὴ κ᾽ γράμματα &c. *Phœnices .... cum doctrinas multas in Graeciam introduxere, tum vero litteras* &c. Herod. lib. V. Vide etiam quæ habet Euſeb. præp. Evang. lib. 1.

tantum, ſed ſeptemdecim litteræ Græcæ ex Hebræis originem traxere, perſpicuum eſt non ſemel traxiſſe. Facile etiam non paucis perſuaderem Θ ex Tau circulo incluſo effictam eſse. Quia tamen figura vetus hebraicæ litteræ Teth adhuc ignota eſt, tutius eſt nihil affirmare. Præterea Ζῆτα ex earum numero eſt, quæ ſerius ad Alphabetum Græcum acceſſerunt: ea tamen a Græcis ad calcem non eſt rejecta, quod latini fecerunt; ſed eundem locum, ac in hebreis tenet. Dicendum ergo a Phœnicibus ſerius in Alphabetum Græcum intromiſſam eſse.

Quod ſi ad numerorum notas tranſire animus & otium eſt, hic enimvero ab Hebræis vel a Phœnicibus Græcos non ſemel doctos fuiſſe perſpiciemus. Pro certo tenendum eſt, Græcos habuiſſe numerorum notas cum ſolas XVI. litteras habebant. Quas haberent, incertum eſt. Herodianus Grammaticus tradidit Athenienſes numeros notare ſolitos per litteras Ι Γ Δ Η Χ Μ, quæ initia erant vocum unum, quinque, decem, centum, mille, decies mille ſignificantium: his mulctas pecuniarias definiri in legibus Solonis, has tum conſpici in veteribus columnis &c. his deſcribi in fine librorum numeros verſuum, qui in codice fuiſſent, quod antiquis uſitatum. Harum exempla ſuperſunt etiamnum in Chronico marmori inſcripto, quod eſt inter Arundeliana, cujus ætas cadit in Olympiadem CXXIX. circa initium primi belli Punici, ut in ejuſdem commentario adnotatum eſt, annis plus minus LX. a morte Alexandri Magni.

Vulgaris eſt Græcis alia ratio numeros ſcribendi per XXIV. litteras Alphabeti, quibus permixta ſunt τὰ ἐπίσημα, litteræ nimirum ſeu notæ numerorum Phœniciæ. Nota ſexti numeri quæ nunc per ϛ ſcribitur, manifeſte nata eſt e Vau ſicli noſtri compendio ſcribendi ſic ϝ. Littera enim Vau Hebræis ſex valet.

Phœnicium aut hebraicum eſſe vel nomen ipſum βαῦ oſtendit. Κόππα ϙ ſimiliter numeri nonageſimi figura, locum habet poſt Ρ, quemadmodum poſt Ɔ locum habet Tſade: formatum eſt ex Tſade Phœnicio elemento, quale medium eſt in inſcriptione noſtri nummi Tyrii. Tſade itidem Hebræis valet nonaginta. In uſu fuit eadem nota in alterum latus converſa ϙ vel etiam ſuperne clauſa q, cumque eſſet valde ſimilis Koph hebræo, nomen ab eo accepit, dictaque eſt Græcis nitidiori vocabulo Κόππα. Reliquæ litteræ Ρ Σ Τ &c. numerum centeſimum, ducenteſimum &c. valent uſque ad octingenteſimum, cujus nota eſt ω vel Ω. Aptiſſime res cadere viſa eſt, ſi mille per ϡ poſſet notari. Idcirco commode excogitata eſt alia nota, quæ intercapedinem impleret: ſcelecta eſt rurſus figura Tſade pluribus, quam ſupraſcripta ductibus calami conſtans, qualis eſt prima in tabula noſtra vel in Pentateucho Samaritano, quæ novies centum eſſet nota. Hanc Græci originis obliti σάμπι appellant quaſi ex litteris πῖ & σῖγμα (quæ eſt σὰν Dorice) compoſitam. Cum ergo hæc numerandi ratio de Phœnicibus ſit accepta, eique admixtæ ſint recentiores litteræ Græcorum, concludendum eſt Græcos eandem accepiſſe poſt XXIV. litteras inventas.

Pelaſgicæ deinceps ſunt dictæ veteres litteræ Græcorum, *διὰ τῶν Πελασγῶν πρῶτον χρησαμένων τοῖς μετεθεῖσι χαρακτῆρσι Πελασγικὰ προσαγορευθῆναι quod primus translatarum* in Græciam *uſus Pelaſgis innotuiſſet*; inquit Diodorus lib. III. ex Dionyſio mythologo ſcriptore antiquo. Pelaſgi porro Græci olim dicti ſunt, antequam Attici, Dores, Jones, Arcades &c. nuncuparentur. In quos populos poſtquam diviſi ſunt, diſcrimen eſſe cœpit aliquod inter cujusque gentis ſcribendi modum, ita ut ex figura & numero litterarum ſcriptio cujuſque nationis diſcerneretur. Similes erant

inter

inter ſe litteræ omnium Græcorum, non tamen eædem. *Cadmeas magna ex parte ſimiles Jonicis* (*a*) dicit Herodotus. Peculiares ſuas *litteras veteres* (*b*) habuerunt Attici. Atticorum figuras veteres cenſeo illas eſſe, quæ in lapide Sigæo conſpiciuntur, recentiores, quæ in Nointeliano. Athenienſes enim diu Sigæum tenuerunt. Jonicorum videntur, quæ poſtea Græcorum omnium fuerunt, quæ præ cetetis viſæ ſunt maxime aptæ vario ſono vocum exprimendo; & ab antiquiſſimis quibuſque Græciæ doctis hominibus & ſcriptoribus, qui extant, uſurpatæ.

Pelaſgicæ litteræ Doribus aſſignandæ mihi videntur. Cæteris enim Græcis primum in Hellenicos, & pacata jam Græcia & latrocinandi more ſublato poſtea in Atticos Jonas &c. commutatis, antiquum nomen Pelaſgicum iis relictum eſt, qui rediere in Peloponneſum, ubi olim Pelaſgus regnaverat, ibique Dores cognominati ſunt, (*c*) cumque rudiores eſſent, quales, Arcades Lacedæmonii, Achæi &c. facilius vetera inſtituta ſervavere. Hinc fit ut Siculi & Itali, qui Dorum coloni erant (*d*) formas antiquiſſimas litterarum Græcarum haberent, quæ in eorum nummis conſpiciuntur.

Apud veteres Græcos duo feruntur ſcribendi modi antiquiſſimi fuiſſe. Prior ἐπὶ τὰ λαιὰ ἐκ δεξιῶν *a dextera in ſiniſtram*: qui modus multis in nummis recentiorum etiam ætatum ſervatus eſt. Hujus exem-

(*a*) Καδμήϊα γράμματα . . . . τὰ πολλὰ ὁμοῖα ἐόντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι lib. 5. n. 59.
(*b*) Ἀρχαῖα ἀττικὰ γράμματα. Pauſan. Eliac. poſt.
(*c*) Dionyſ. Hal. lib. 1. Thucyd. lib. 1. Herod. lib. 1. n. 56. Vid. Strab. lib. 5.
(*d*) Thucyd. ibid. ὤκισαν Ἰταλίας καὶ Σικελίας τὸ πλεῖον οἱ Πελοποννήσιοι. *In Italia Siciliaque maximam partem colonias miſerunt Peloponneſii.*

pla, quæ habemus unico tantum verſu aut verbo abſolvuntur. Fuerat is modus Orientalibus maxime vulgaris, ut ex omnibus Codicibus & ex omnibus fere ſiclis conſtat. Alter modus a bobus arantibus ducta ſimilitudine βουστροφηδὸν dictus eſt, primo verſu a ſiniſtra in dextram, ſecundo a dextra in ſiniſtram exaratis & deinceps alternatim. Hujus exempla ſunt in inſcriptione Sigæa, in Bimardiana, in multis nummis, in quibus nomen urbis vel hominis partim more noſtro, partim Orientali ſiniſtrorſum ſcriptum eſt. Apud Parutam nomen Gelonis ſemel ita ſcribitur, Agragantis pluries. Nomen tamen ΡΑΓΚΙΟΙΣ urbis in Creta (*a*) primo ΓΑϘ poſt ΚΙΟΙΝ ſcribitur. Nummi Selinuntiorum & Camarinæi, ubi nomen urbis habent in utraque facie, hinc dextrorſum ſcriptum eſt hinc ſiniſtrorſum. Idem eſt frequenter in nummis Poſidoniatarum, Tarentinorum &c. Qua diverſa ſcribendi ratione, ut dictum eſt uſi ſunt Hebræi in ſecundo Siclo tabellæ noſtræ. Unde orta mihi ſuſpicio eſt, ſcriptionem βουστροφηδὸν, quæ hactenus tributa eſt ſolis Græcis, ab Hebræis fluxiſſe: gaviſus vero ſum, cum legi idem traditum olim fuiſſe Judæis: Eſdram nimirum *modum ſcribendi a dextra ad ſiniſtram tradidiſſe Judæis, cum prius ad modum arantium ſcriberent..... Scribebant autem a ſiniſtro cornu & a dextro redeundo ſcribebant in ſiniſtrum* (*b*) Quod hactenus eſt viſum temere dictum.

Poſitio etiam litterarum ſpeciatim notanda eſt. In eo Siclo ubi dictiones progrediuntur more noſtro, litteræ omnes converſæ ſunt retro in latus alterum præter Koph, quæ eadem eſt ac ſi nummus vulgata ratione Hebræorum eſſet inſcriptus. Quæ litteræ diſ-

fe-

(*a*) Haym. T. 2. p. 144.
(*b*) Nancler. generat. 54. citat. a Voſs. art. gramm. lib. 1. c. 34. qui plura in hanc rem collegit.

ferentia probat ejuſmodi ſcriptionem non poſſe tribui vitio ſcalptoris, ſed aliquando in more Gentis Hebrææ fuiſſe. Eodem fere modo varia eſt poſitio litterarum apud Græcos, ita ut eo converſæ ſint figuræ litterarum, quo verſus procedit. Conſpectus inſcriptionum, quas βυστροφηδὸν ſcriptas eſſe diximus, rem dilucide demonſtrat.

Atque hic animadvertere libet, pleraſque veteres litteras Hebræorum effici præcipue linea perpendiculari, cui alii ductus calami plures vel pauciores hoc vel illo modo adjuncti formant unamquamque litteram. Quę ductus habuere lateri dextro adjunctos, ut aleph lamed Koph veterem ſtatum videntur retinuiſſe etiam apud Græcos, in verſibus dextrorſum exaratis; quæ autem ſiniſtro, converſæ ſunt dextrorſum, effictæque ΒΓΕΜΝΓΡ, reliquæ tantillum immutatæ in ΔΙΟΣΤ. Nonnullæ etiam ſitu & poſitione mutatæ ſunt, quandoque deorſum verſæ, quod ex tabella clarius conſtabit: quas ſic variaſſe vidi, ſunt ΓΛΡΣΩ. Hæc mobilitas litterarum familiaris fuerat Hebræis.

Sexdecim litteræ vetuſtiſſimæ Græcorum, ut opinor, ſunt hæ ΑΒΓΔΕΗΙΚΜΝΟΓΟΡΣΤ Differunt iſtæ ab iis, quas habent Plinii exemplaria vulgata duabus litteris Κ et Υ. Earum loco Η & Ο reponendas eſſe cenſeo. Ο enim & Κ differunt inter ſe figura tantum, non vero poteſtate ita ut ejuſdem litteræ figura vetuſta Ο ſit, Κ recens. Hinc Quintilianus (a) *Et* Κ..... *&* Ο *cujus ſimilis effectus ſpecieſque, niſi quod paululum a nobis obliquatur*. Igitur & hanc Græci olim habuerunt. Υ autem omiſi, quia in tam exiguo numero litterarum credendum non eſt, Græcos ullam habuiſſe, quam non haberent Hebræi: hi vero ο & υ

(a) lib. 1. c. 4.

per γ exprimebant: deinde quia manifeſte facta eſt ex ▽ hebraica, qualis in Pentateucho Samaritano & aliquando in Siclis eſt. At vero H, quæ aſpiratio eſt, in Inſcriptione omnium antiquiſſima Sigæa conſpicitur, ſimiliter in Nointeliana, in nummis Himeræorum Heracleenſium (*a*) &c. reperitur. In Alphabeto Græco fuit ante Solonis tempora, ideſt ante Olympiadem XLV. Erat enim nota centeſimi numeri & initium vocis HEKATON.

Idem dicendum, ſi de veteribus latinis agatur. *Pelaſgos* enim *litteras in Latium attuliſſe* teſtatur Plinius (*b*). Dionyſio Halicarnaſſenſi certum eſt, Romanos initio ſcripſiſſe litteris iisdem, quibus Græci antiquiores uſi fuerant, iiſque inſcriptam a Servio Tullio columnam æream ſua ætate ſuperfuiſſe (*c*). Priſcianus affirmat allatas in Latium litteras ſexdecim. In his etiam retinendæ ſunt H & Q. Primum quia eædem fuere litteræ veterum Græcorum & Latinorum. Deinde quia cum C fungeretur olim vice G, ut notum eſt, ſonus litteræ C ſcribebatur per Q. Etiamnum C & Q permutantur. Promiſcua ſunt enim *cum ſecutus cocus*, *quum ſequutus coquus &c.* Et veteres *arquus* & *oquulus* pro *arcus* & *oculus* ponebant ut docet Priſcianus. In cujus exemplaribus *arqus oqulus* ſcribi debet: quæ antiqua ratio in nonnullis editionibus Plauti ſervata eſt, in quibus eſt *qom qojus qui coqus*. Idem Priſcianus de H. *H nota aſpirationis, quam Græcorum antiquiſſimi ſimiliter ut latini in verſu ſcribebant*. Hanc videmus in inſcriptione L. Scipionis Barba-

(*a*) Paruta, Liebe Goth. num. p. 175.
(*b*) l. 7. c. 56.
(*c*) ἄυτη διέμεινε ἡ στύλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας . . . . γραμμάτων ἔχυτα χαρακτῆρας ἑλλωικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ ἑλλὰς ἐχρᾶτο. *Manſit eadem columna ad meam uſque ætatem, litterarumque Græcarum formas habuit, quibus olim Græcia uſa eſt.* Lib. 4.

bati F. in Senatus Conſulto de Bacchanalibus &c. De ejus uſu, qui rarior erat apud antiquos, Cicero Gellius &c. nonnulla notarunt.

Litteræ Græcæ & Latinæ, quæ ſunt in Tabella noſtra, deſumptæ ſunt ex monumentis ſequentibus.

A prima in nummo Muſ. Bonon. Segeſtano & Syracuſano, ſupremo apice inclinato, nondum tamen inferiorem contingente: altera in nummo ejuſdem Syracuſano in inſcriptione Sigæa Bimardiana &c. in verſibus dextrorſum exaratis: tertia in nummis gentis Saufejæ Theſauri Morelliani. Quarta in voce ROMA nummi Bonon. hinc referente dimidiam navim, hinc caput Mercurii, in lamella cuprea apud Fabrett. inſcr. p. 27. &c. quinta in nummis Haym. T. 1. &c.

B.

Γ Altera in inſcriptione Sigæa in Nointeliana, & in ea quam e marmore in inſula Delo exſcripſit Tournefortius: tertia in columnis Farneſiis: quarta in nummis Bonon. Agrigentinorum: quinta in nummis Gelenſium. Ex hac formata eſt latinorum littera C quæ diu ſupplevit vices G. Auſonius

Prævaluit poſtquam Gamma vice functa prius C

Δ Prima in inſcriptione Bimardiana: tertia in nummo Zanclæo & columnis Farneſiis.

E

F ſeu Digamma Æolicum, de quo Priſcianus. *V loco conſonantis poſita eandem prorſus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Æoles digamma F: unde a pleriſque ei nomen hoc datur, quod apud Æoles habuit olim F digamma ideſt Vav..... pro quo Cæſar* (Claudius) *hanc figuram a ſcribere voluit, quod quamvis illi recte viſum eſt, tamen conſuetudo antiqua ſuperavit.* Et infra. *Egomet legi in tripode vetuſtiſſimo* ΔΗΜΟΦΑΓΩΝ. *Et nos hiatus cauſa interponimus V loco digamma F.* Antiquiſſimum ſonum ſcribendique ra-

tionem ſervaverunt voces latinæ *Ovum ὠὸν ovis ὄϊς, bovis βοὸς, Argivus Ἀργεῖϙ, cupivi cupii, audiveram audieram.* Prima ergo figura digammatis fuit ꟻ: poſterior quæ in inſcriptione Deliaca Tournef. ut ſecundo loco ponitur, vel quæ tertio. In antiquis fictilibus Romæ repertis eſt NOEM pro Novembri omiſſo digammate.

H

Θ Prima in columnis Farneſiis: ſecunda in inſcript. Sigæa: tertia in nummo Bon. Agathoclis. De hac Auſonius

Anſis cincta duabus erit Ϳota, leges Θ.

quarta in nummis Athen. & Theban. Haym. T. 1. quinta in imaginibus illuſtrium Urſini: ſexta in nummo Athenien. Haym ibid. ſeptima in inſcrip. Bimard. & Nointel.

Λ Prima in inſcript. Sigæa, in nummo Bonon. Zanclæo, in alio inſcripto CAᒐENO, in S. C. de Bacchanalibus, in inſcriptione latina Fabrett. pag. 240. ſecunda in column. Farneſ. in nummis Græcis & Ægyptiis paſſim ut initium vocis ΛΥΚΑΒΑΣ præponitur notis annorum: tertia in nummo Calenorum Goltz. Tab. 19. quarta in inſcript. Bimard. quinta in numm. Bon. Gelenſium. ſexta in inſcrip. Deliaca

M Prima in inſcriptione Sigæa, altera in column. Farneſiis, tertia in imaginib. illuſtrium Urſini.

N Prima in nummis Bonon. Leontinorum, altera in column. Farn.

O Prima in fictilibus Romæ repertis. Diſſert. P. Baldini Acad. Corton. ſecunda in imaginibus Urſini: tertia in nummo Haym T. 2. p. 144. Duæ T in multis monumentis Græcis & latinis. Vide Fabrett. inſcript. pag. 175.

P Prima in multis nummis familiar. Romanar. in inſcriptione antiqua Fabrett. pag. 240. &c. ſecunda in S. C. de Bacchanalibus &c.

Q Prima in voce ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ nummi Bonon. argentei tetradrach. & pluribus eorundem didrachmis qui ſub Pegaſo ſolam habent Q ad commemorandam Syracuſanorum originem Corinthiam. Eſt etiam in nummo Crotoniatarum Theſ. Palat. a Begero vulgati: ſecunda & tertia in titulo Sigilli apud Cl. Maffejum Veron. illuſtr. Tom. 3. Auſonius

Cappa fui quondam Bœotia nunc Latium K.

Legendum videtur Coppa, littera Cadmea ſeu Phœnicia koph, ex qua poſtea fuit K.

P Secunda in nummo Theſaur. Palat. p. 156. tertia in inſcript. Sigæa: quarta in Nointeliana in nummis Bonon. Syracuſanorum, in quibus aliquando eſt ſurſum verſa ꝶ, in inſcript. Bimard.

Σ Prima in nummo Syracuſano Parut. Tab. 60. ſecunda in imagine Miltiadis Urſin. & nummo Haym. T. 2. pag. 144. Tertia in titulo ſigilli Veronenſis ſupraſcripti, in nummo Poſidoniatar. Theſ. Palat. & Syracus. Parut Tab. 7. quarta in nummo Syracus. Tab. 37. quinta in inſcrip. Sigæa: ſexta in Nointeliana: ſeptima in Sigæa & nummis Bonon. Meſſanenſium: octava in inſcript. Deliaca & Sigæa

T Prima in tabula Ærea de qua infra mentio eſt.

Z

Ξ prima qualis initio fortaſſe fuit, poſtrema in nummo Bonon. inſcripto ΝΟΙΧΑΝ Naxiorum in Sicilia.

Φ primam deſignare videtur Priſcianus lib. 1. *ſicut etiam apud veteres Græcos pro* Φ, P & H: ſecunda & tertia in imaginibus Urſini: quinta in inſcriptione Nointeliana: ſexta in nummis Regum Græcorum ſæpe: ſeptima in nummis Bon. Philiſtidis Reginæ. Auſonius

Hæc crucis effigies Palamedica porrigitur Φ

X prima in inſcript. Sigæa & column. Farneſ.

qua.

Ψ qualis creditur ex Γ & Σ compoſita primo uſurpari cœpta eſſe.

Ω prima in nummo AKAIΩN Haym. T. 2. pag. 85. ſecunda ibid. p. 163. & T. 1. pag. 109. n. 2. & 3. & 6. & pag. ſequ. Ω qualis nunc eſt, occurrit in ſecunda parte inſcriptionis Sigææ. Verſa ſurſum eſt in nummo Acraſiotarum Haym. T. 2. pag. 87. & Haluntinorum Parut. &c.

Quod

QUod initio conſtitueram, mihi videor præſtitiſſe: Liceat tamen retractare nonnulla. Dictum eſt ſupra veteres Græcarum litterarum characteres ex Hebraicis ſeu Phœniciis formatos eſſe. Sic eruditis uſus eſt loquendi. Verum accuratius mea ſententia & verius rem ſeu rei originem tangeret, qui veteres Græcos diceret, ipſis Hebræorum ſeu Phœnicum litteris uſos eſſe. Repetatur memoria temporum, quæ in hiſtoriis Græcorum vetuſtiſſima ſunt, & ultimam ejus gentis commemorant antiquitatem. His Phœnices latissimus longe lateque per omnia maria jampridem diffuſos plurimas orbis terræ partes habitaſſe. Actum agerem, ſi aggrederer id oſtendere (*a*). Quod ea re noſtra eſt, plurimas inſulas Græci maris Phœnices incolebant, & huc illuc diſcurrentes, ut ait Thucydides (*b*), more barbarorum rapto vivere ſoliti fuere, donec Minos Cretenſium Rex potitus re nautica, quæ antea Phœnicum tantummodo erat, & claſſe primum inſtructa ſuſtulit prædones, inſulas & mare pacavit: ideo a Poetis dictus apud inferos judicia exercere. In Sicilia pariter plurima loca inhabitarunt olim Phœnices (*c*). In Bœotiam item fama erat, duce Cadmo veniſſe Tyrios: Et qui ex eorum poſteris Gephyræi dicti fuere, inde migrantes in Athenienſium Civitatem ſuſcepti ſunt. In has regio-

(*a*) V. Bochart in Chanaan.
(*b*) lib. 1.
(*c*) lib. 6. Pauſan. Eliac. pr. &c.

giones ferebantur Phœnices ſuas attuliſſe litteras. In Bœotia enim extabant tempore Herodoti monumenta litteris Cadmeis inſcripta, nempe Phœniciis. In Atticam etiam Phœnices detuliſſe litteras affirmat idem auctor (*a*) aitque *primas* Athenienſium *litteras eas eſſe, quibus Phœnices utuntur*: γράμματα .... πρῶτα μὲν τοῖσι κ᾽ ἅπαντες χρέωνται Φοίνικες. Paulo poſt addit: Ἴωνες Ἑλλώων παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, *Jones Græcorum* ſimiliter *a Phœnicibus didiciſſe litteras*. (*b*). Videmus ergo duas celeberrimas Græciæ gentes, Athenienſes videlicet & Jones Phœniciis litteris olim uſas eſſe. Quamvis autem poſtea Jones μεταῤῥυθμίσαντές σφεων ὀλίγα *quarumdam litterarum modulos* ſeu figuras *mutaſſent*, ea mutatio nullius momenti viſa eſt, & ἐφάτισαν .... φοινικήια κεκλῆσθαι *Phœnicias* nihilominus *eſſe nominandas edixerunt*. Veteres enim ſive verſus dextrorſum procederent ſive ſiniſtrorſum, ſive litteræ hoc latus ſive alterum reſpicerent, idem eſſe putaverunt.

Quod autem Cadmus Phœnix ferebatur olim in Græciam primus attuliſſe litteras, incertum rumorem exiſtimo fuiſſe popularem ſine auctore: non quo credam vel Cadmum non fuiſſe, vel in Græciam nunquam profectum, ſed quia mihi perſuadere non poſſum litteras in Græcia aliquando non fuiſſe. Semper enim fuiſſe neceſſe eſt a regnis & civitatibus, imo ab humanis convictibus conſtitutis; cum ſine illis neque rerum anteactarum memoria poſſit eſſe, neque præſentium ordo, neque recta ſucceſſio futurarum.

(*a*) Lib. 5.

(*b*) Ἴωνες ἑλλώων Jones qui in Græcia vetere fuere, de quibus idem lib. 1. n. 145. ut eos diſtinguat ab iis; qui poſtea fuerunt in Aſia quique XXIV. litteras invenerunt, ab iis propterea litteræ Jonum dictæ.

rum. Ceterum qui hoc tradiderunt, credendi ſunt potius de vulgi ſententia quam de ſua id dixiſſe. Ita auctor Chronici marmorei Arundeliani adveniſſe Cadmum in Græciam memorat, arcemque Thebis ædificaſſe, de litteris allatis nihil locutus, cum alioquin multa alia rarioris uſus, & momenti levioris apud Græcos vel inſtituta vel introducta non ſileat. Ipſa nominis etymologia famam hanc de Cadmo fortaſſe confecit: קֶדֶם *kedem* enim *& Orientem* vel *Orientalem* hominem ſignificat, & *antiquum*. Hæc autem mire conveniunt litteris veterum Græcorum, quas ex Oriente attulerunt olim primi homines in Græciam profecti.

Antiquiſſimæ ſunt earum omnium, quæ ad nos pervenerunt eæ, quas exhibet Tabella noſtra. Nemo tamen illas conſiderabit, quin fateatur verum eſſe, quod eodem loco affirmat Herodotus ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε *rationem ferre*, & æquitatem poſtulare, ut veteres litteræ Græcorum Phœniciæ ſint appellandæ. Et tamen monumenta, e quibus deſumpſimus litteras Tabellæ, non magnæ ſunt antiquitatis, ſi tempora vetuſta Græcorum ſpectemus. Inſcriptio Sigæa omnium vetuſtiſſima recentior eſt Olympiade quinquageſima. Ejus vero litteræ multæ nihil differunt a Phœniciis, cum tamen minimum diſtet ejus inſcriptionis ſtylus a lingua Græca, quæ fuit Herodoti, Thucydidis, Iſocratis. Numinum noſtrum Meſſanenſem vix ultra Olympiadem ſeptuageſimam tertiam rejecimus. Ne illa quidem ætate antiquiores fortaſſe ſunt nummi Syracuſanorum, Agrigentinorum, Gelenſium, Leontinorum, ut omnes complectar nummi Siculi, qui e figuris litterarum antiquiſſimi Græcorum judicandi ſunt. Nam de nummis Athenienſium & Thebanorum conſentiunt nonnulli Philippo Macedone Alexandri Magni patre antiquiores non eſſe, ſi Athenienſem excipias

pias, quem e ſuo Muſæo protulit Cl. Maffejus habentem litteram aliquam ſimilem Sigæis.

Hic ſi quis quæſierit, cur iis ætatibus, quas modo indicavimus, ſuperiores nummos Græcos non videamus, cum tamen certum ſit multo ante cœptum eſſe argentum ſignari: ſi quis inquam hoc quælierit, recogitet velim longiſſimum temporis ſpatium, annos nimirum bis mille et ducentos; tot enim ab iis ætatibus, quas ſupra commemoravimus, ad noſtram uſque fluxerunt: Tum veteres Græcos ſolitos quidem fuiſſe aliquando metalla formis ferire, non tamen ita frequenter id feciſſe propter auri argentique caritatem. Ejus rei fidem facit quod eſt apud Thucydidem, drachmam Atticam argenteam, quæ pars eſt unciæ octava, menſtruum ſtipendium fuiſſe militis Lacedæmonii; et captivos ſtatere uno (dimidia videlicet uncia) in ſingula capita ſoluto redemptos eſſe. Hinc vir Græcus cum apud Herodotum Xerxem alloqueretur, Græciam dixit πενίης σιώτροφον fuiſſe ſemper *alumnam paupertatis*, quam cum dominatione retinere voluiſſet (*a*). Fortaſſe etiam apud Græcos in more poſitum erat idem, quod apud Perſas: τὸ πλεῖστον κῆς χρυσὸν κῆς ἄργυρον ἐν κατασκευαῖς εἶναι, νομίσματι δὲ ὑ πολλῷ: Perſas *maximam auri atque argenti partem in ſupellectile habuiſſe, in nummis perexiguam*, (*b*) tantum nimirum pecuniæ ſignatæ illis mos fuerat habere, quantum ad quotidianum uſum ſatis eſſet. Ita Ægeſtani ut Athenienſibus perſuaderent, ſibi magnas ad bellum vires ſuppetere, per legatos multa talenta *argenti non ſignati* ἀσήμου ἀργυρίου miſerunt Athenas (*c*). Ut ut res eſt, ſi nummos Græcos antiquiſſimos ha-

(*a*) lib. 7.
(*b*) Strab. lib. 15. Herod. lib. 3.
(*c*) Thucyd. lib. 6.

habere liceret, mihi perſuaſum eſt, in iis impreſſas fore litteras Phœnicias.

Quorſum hæc omnia? inquiet aliquis. Ut nimirum colligere poſſimus, vel omnes vel pleraſque Gentes, quarum memoria illuſtris eſt, iiſdem litterarum figuris uſos fuiſſe: Chaldæos videlicet ſeu Babylonios, Hebræos, Phœnices, & Græcos. Prope eſt ut adjiciam etiam antiquos Latinos. Hos profecto litteris Phœniciis initio uſos eſſe, nuſquam memini me legiſſe. Sed tamen dicebantur accepiſſe litteras a Pelasgis, ſeu ab hominibus profectis e Peloponneſo, qui ſequentibus ætatibus Jones ſunt cognominati & a Phœniciis ut vidimus ſe didiciſſe litteras profitebantur. Quod ſi characteres ipſos litterarum conſulimus, plures in antiquis monumentis latinis ſunt omnino ſimiles litteris Phœniciis. Omitto in præſens eas, quæ cum antiquis Græcis tum latinis fuere communes ut BDEHΠR. Hę peculiariter notandæ ſunt ex monumentis latinis. Tertia A eadem eſt ac ſecunda hebraica deorſum verſa: Quarta eadem ac prima hebraica verſa ſiniſtrorſum: prima L et altera occurrunt etiam in Siclis: ◊ extat in antiquis fictilibus Romæ erutis (*a*). Qq eandem ac Koph Hebræorum a Græcis jampridem antiquatam vix in priſcis nummis Syracuſanorum et Crotoniatarum aliquoties videre eſt. Tau in modum cruciculæ efformata, quam apud Græcos fruſtra quæſieris, extat in monumento latino ſatis vetere (*b*). Ex his omnibus manifeſtum eſt, cur Herodotus lib. V. dixerit Phœnicum litteris plurimos homines uſos eſſe πλέῳς τῶν ἀνθρώπων τῇ γραφῇ ταύτῃ χρήσασθαι: conſtat etiam cur Euſebius litteras Phœnicias ſeu prima ſcribendi elementa, ut ferebantur a Cad-

(*a*) Diſſert. VIII. Cl. Baldini Acad. Corton. T. 2.
(*b*) In Apulia repertum edidit Londini Mittaire; eſt etiam in obſerv. litter. T. 3. & inſc. Theſ. nov. T. 1.

Cadmo in Græciam allata γράμματα κοινὰ *communes litteras* (a) appellet. Communes enim fuerunt universis populis, quorum litteras & characteres noviſſe nobis contigit ex veterum traditione.

Illud item arguendum videtur litteras Phœnicias ſeu Hebraicas vel antiquiſſimas eſſe generis humani, vel ſaltem antiquiores diſperſione Gentium, quæ a filiis Noe vel eorum poſteris in varias terræ partes incolendas deductæ ſunt. Videmus enim has Gentes conſenſione quadam iiſdem litteris uſas, tum eas, quæ ſpectabant ad Orientem, Babylonios & Chaldæos, tum quæ ad Occidentem ſitæ fuerunt, ut Græcos & ex his Latinos, tum denique inter has medios Hebræos & Phœnices. Cum ergo tam diſſitæ terris, ingenio, moribus nationes in eoſdem litterarum characteres convenerint, eundemque uſurpaverint ſcribendi modum, neceſſario dicendum eſt uſitatum fuiſſe illis Gentibus omnibus, antequam dividerentur, cum etiam diviſis communis eſſet. Quod cum in reliquis populis animadvertendum ſit, in Hebraica natione non poteſt non eſſe maxime notabile. Quamvis enim poſſit quis fingere, id factum eſſe vel ipſarum Gentium conſenſione, quod eſt incredibile, vel alicujus Imperii legibus iiſdem, quod de omnibus vel fieri vel cogitari nequit, id de Hebræis certe dici non poteſt, qui a ceteris nationibus vel ſejuncti vixere multis ſeculis, vel nulli imperio diu ſervierunt, vel in mediis profanis nationibus collocati mores ſuæ gentis conſtantiſſime retinuerunt. Dicendum ergo eſt Phœnicias litteras non eſſe recentiores ætatibus, quæ proximæ diluvium conſecutæ ſunt. Hinc omnino pro-

ba-

(a) Euſeb. de præparat. Evang. lib. 10. c. 5. πρῶτος τοιγαροῦν ὁ τὰ κοινὰ γράμματα αὗτα δὴ τὰ πρῶτα τῆς γραμματικῆς στοιχεῖα Ἕλλησιν εἰσηγησάμενος Κάδμος τὸ γένος Φοίνιξ &c.

babile cuicumque fit, quod ſe arbitrari Plinius ait, *ſemper fuiſſe litteras Aſſyrias*, quarum inventio prima & uſus ignoraretur, & Gentibus primo poſt diluvium divitis in Aſſyria ſeu Babylonia æqualis eſſet. Hinc facile eſt explicare, qua ratione Varro Romanus homo, ut eſt apud Cenſorinum (*a*), ſciret probe numerum annorum, qui a diluvio, quod ab eo prioris cataclyſmi ſeu Ogygii nomine donatur, ad ſuam ætatem uſque fluxerant, tot plane, quot numerant noſtrates Chronologi Sacris Bibliorum Hebraicorum vel Latinorum monumentis edocti.

Locus Cenſorini adeo illuſtris eſt, ut præteriri ſilentio non poſſit. Tempus omne, quod ante ſe fuerat, in tria partitur Varro, in incertum, fabuloſum, hiſtoricum. *Primum*, inquit, *ſive habuit initium, ſive ſemper fuit, certe quot annorum ſit, non poteſt comprehendi*. Ex hoc colligito, ea quæ Varro habet, e ſacris auctoribus neutiquam accepta eſſe. *Secundum non plane quidem ſcitur, ſed tamen ad mille & DC circiter annos eſſe creditur*. Hoc ſpatium deinde in aliquot partes diſtribuere cum vellet, addit: *a priore ſcilicet cataclyſmo quem Ogygium dicunt, ad Inachi regnum annis circiter CCCC; hinc ad Olympiadem primam*, quæ temporis hiſtorici initium eſt, *paulo plus CCCC*. Locus eſt manifeſte corruptus, & temporis fabuloſi diſtributio imperfecta: partes enim compoſitæ annos DCCC ſolum conficiunt, cum ſumma duplo major ſit, annisque mille & ſexcentis conſtet. Videtur igitur ita reſtitui poſſe: *a priore ſcilicet cataclyſmo, quem Ogygium dicunt, ad Inachi Argivi regnum annis circiter DCCC: hinc ad res Trojanas circiter CCCC: inde ad primam Olympiadem paulo plus CCCC*. Vadem do temporis primi Clementem Alexandrinum (*b*) qui e

(*a*) De die Natali c. de annis Rom.
(*b*) Strom. lib. 1.

Ptolemæo Mendeſio & Apione Grammatio affirmat, æquales ætate fuiſſe Moyſem Hebræorum legislatorem, Amoſim Regem Ægypti, & Inachum Argivum: omnes porro Chronologi conſentiunt annos circiter octingentos a diluvio ad Moyſem fluxiſſe. Paulo infra addit Clemens, inde ad res Trojanas annos fuiſſe circiter quadringentos. Quadringentos itidem & octo a Troja capta ad primam Olympiadem numerat Dionyſius Halicarnaſſeus (*a*). Contemplit hunc locum Petavius (*b*), tum quia corruptus eſt, tum quia ſecutus Euſebium Inachum fecit aliis fere quadringentis vetuſtiorem. Verum celebris Bianchinius (*c*) nodum ſolvit duobus Inachis ex Hygino adnotatis; altero quidem antiquiſſimo ex Ægypto profecto, altero quia regnavit Argis, Argivo dicto. Si itaque aliquem ex recentioribus Chronologis conſulueris, quot annos a diluvio ad Olympiadem primam numeret, quot inde ad Jeſum Chriſtum, quot ad Coſs. Ulpium & Pontianum, quibus librum *de Die Natali* edidit Cenſorinus, reſpondebit mille & ſexcentorum circiter annorum tempus primum fuiſſe, ſecundum ſeptingentorum ſeptuaginta ſex, tertium ducentorum triginta octo: Totidem numerat Cenſorinus: *Ad Ulpii & Pontiani Conſulatum ab Olympiade prima annos M & XIIII. ex diebus dumtaxat æſtivis, quibus Agon Olympicus celebratur*. Cum ergo eadem ſcribendi ratio, ſeu eædem litteræ & ætatibus fabuloſis, & non mediocri fortaſſe ſpatio temporis hiſtorici communes fuerint vel nationibus univerſis vel pluribus, facile propagari potuit poſteritati certa diluvii, & temporis quo diluvium evenit, notitia. (*d*) Meminiſſe enim opus eſt quod tra-

(*a*) Lib. 1.
(*b*) De Doctr. temp. lib. 9. c. 9.
(*c*) Iſtor. univ. pag. 270.
(*d*) Vid. Joſeph. contr. Apion lib. 1.

tradidere Græci ſe non litteras ſolum a Phœnicibus didiciſſe ſed etiam διδασκάλια *doctrinas*, in quibus ſuo loco numeranda eſt rerum præteritarum memoria. Laudantur etiam τὰ φοινίκων ἀπόκρυφα βιβλία *Phœnicum libri reconditæ ſapientiæ pleni*, quibus uſi ſunt antiquiſſimi Græciæ ſapientes. (*a*)

Talia cogitanti mihi nitentique oſtendere characteres veteres Græcos eoſdem cum Phœniciis vel Hebraicis fuiſſe, venit in mentem celebris controverſia de litteris Etruſcorum, num ex Hebraicis natæ fuerint, an vero ex Græcis. Agitata eſt hæc quæſtio ſuperioribus annis acri contentione. Videtur autem ſuperfuiſſe, ſi ut mihi perſuaſum eſt ad veritatem, iiſdem litteris & Hebræi & Græci olim uſi ſunt: præcipue cum primordia nationis Etruſcæ Olympiadas nonnullis ſeculis ſuperent. Varro enim apud Cenſorinum (*b*) ſe vidiſſe teſtatur hiſtorias Thuſcorum octavo eorum ſeculo (ideſt ante annos circiter mille, ſeculo Thuſco annos plus minus centum & viginti comprehendente) octavo, inquam, eorum ſeculo ſcriptas; quoto autem ſeculo ante Varronem ſcriptæ eſſent, obſcurum eſt. Cum ergo hujus nationis initium ad eas ætates referendum ſit, quibus credimus unos characteres fuiſſe multorum populorum, qui poſtea differentes habuerunt, conſequeretur eaſdem litteras Etruſcorum fere fuiſſe, quæ & Hebræorum & Græcorum erant. Nihilominus tamen ſi earundem litterarum formas contemplamur, ſi ea quæ de origine Etruſcorum tradita ſunt conſulimus, ſubobſcura res videtur eſſe. Quantum enim ad nationis initia ſpectat, Strabo antiquitates ejus populi paucis complexus (*c*) auctor eſt, Atyn Regem Lydorum olim fame

(*a*) Suid. V. Pherecydes Syrius.
(*b*) Cap. de Seculo.
(*c*) Lib. V.

coactum magnam populi partem regno ejeciſſe, juſſiſſeque ſedes novas duce Tyrrheno filio quærere: hos in Italiam delatos inhabitaſſe oram illam, quæ de nomine ducis Tyrrhenia a Græcis a Romanis Etruria vel Thuſcia dicta eſt: Tum Etruſcos imperium ſuum protuliſſe, & cepiſſe urbes conditas a Pelaſgis ſeu Græcis, qui e Theſſalia profecti in iis locis diu conſederant: Demaratum tandem poſt Romam conditam clarioribus Græciæ temporibus frequentem populum Corintho deduxiſſe in Etruriam. Quamvis autem de ejus gentis initiis non una ſit ſcriptorum ſententia, extra controverſiam eſt, eam vetuſtiſſimam eſſe, adeo ut aliquot ſeculis res Romanas præverterit. Ea itaque natio primum conflata eſt ex antiquo populo ſive indigena ſive peregrino, quicumque tandem is fuerit, cui deinde ſemel & iterum Græci homines admixti fuerunt.

Totidem litterarum genera videre mihi videor in Etruſco Alphabeto, nonnullas nimirum cum Hebraicis ſive Phœniciis ſive communibus antiquarum gentium convenientes; nonnullas etiam prorſus ſimiles iis, quæ Græciæ florentis fuere. Neque enim credendum eſt gentem tam antiquam, quæ in tanto imperio terra marique, quæ in imperio tandiu fuit, in quam tot populi migrarunt, unis iiſdemque ſemper litteris nihil admodum immutatis ſcripſiſſe. Ita ex genere Phœniciarum eſt aſpirata ⊟ qualis in Siclis eſt: item Tau in modum crucis efficta: Eæ deinde quæ cum Phœniciis, tum Etruſcis, tum aliis quoque nationibus communes fuerunt A E I ⅃ M N Γ P Σ V. Prætereunda non eſt littera Koph ϙ quam ſolus Bourguettius cum Etruſcis numeravit: Eſt tamen aliquoties in monumentis Etruſcis, velut in Tab. XLVIII. Etr. Reg. ut ajunt in coxis equorum, & ſemel & iterum in Muſ. Etr. Tab. LVIII. A vero fortaſſe non aberraret, qui crederet

deret litteram d, quæ eſt in prima voce quarti verſus in Tab. I. Eugubina, Ϙ inverſam eſſe. Sæpe enim ea vox cum antecedenti iteratur infra & in Tabula ſecunda, eaque littera tum plerumque per K exprimitur. Quæ cum littera Phœnicum fuerit, ab Etruſcis aliquando uſurpata eſt. Varietas hæc & notatio litterarum nonnullo adjumento eſſe poſſet ad dignoſcendas ætates monumentorum, ſi tamen aliquando daretur præter quædam nomina propria aliquid in Etruſcis monumentis certo intelligere: quod optandum magis quam ſperandum videtur.

Satis ſcite adnotatum eſt (*a*) apud Etruſcos more linguæ Hebrææ voces nonnumquam aliqua vocali caruiſſe, quæ in dicendo apponebatur, etſi ſcripta non eſſet. Id tam verum eſt quam quod maxime. Aliter enim plurimæ voces, quæ multas ſimul conſonantes habent, dici non potuiſſent. Ejus rei luculentum exemplum eſt in inſigni Scarabæo a Cl. Gorio allato (*b*). In eo Tydei nomen eſt Etruſce. 𐌄𐌕𐌅𐌕 deſinens in E ut Amphiaraus & Adraſtus 𐌀𐌌𐌐𐌉𐌀𐌓𐌀𐌅 & 𐌀𐌃𐌓𐌀𐌔𐌕𐌏𐌔 dicuntur. Littera quæ nomen 𐌄𐌕𐌅𐌕 proxime ſequitur, eſt ut puto Pe Etruſca deorſum verſa, ita ut nomen Polynicis ſcriptum ſit 𐌐𐌄𐌋𐌍𐌉𐌊𐌄𐌔 PLNICES. In eo vel una vel duæ vocales omnino deſiderantur, quas in dicendo addere neceſſe fuit. Ita etiam vocales addebantur nomini familiæ Cæcinæ, quæ *Ceicna* erat in Etruria (*c*) &c. Fortaſſe & Romani quamvis *hercle* ſcriberent, pronunciabant *hercule* Perſius ſat. 1.

Quis leget hæc? min' tu iſtud ais? nemo hercule. Nemo?

At ſi ad Græca convertimur, quemadmodum

(*a*) Obſerv. lett. Ver. Tom. 6. p. 170.
(*b*) Diſ. alfab. Toſc. p. CXXII.
(*c*) Oſſ. lett. ib. p. 132.

cum Græcis posterioribus communem habuerunt Etrusci mythologiam, ita nonnullas etiam litteras ab iis mutuati fuisse videntur, Θ videlicet, quæ modo punctum habet in medio, modo eo caret, quod idem est in inscriptione Bimardiana, K, alteram Kappa hac figura ϰ, digamma Æolicum, sigma ϟ qualis est inter Græcas Tabellæ nostræ. Addo libenter Φ in voce ƎDAIΦMA Scarabæi memorati, itemque ƎMDƎΦ *Pherse* seu Perfei Tab. V. Etr. Reg. Sic enim hanc vocem legendam censeo. Promiscui enim usus sunt consonantes Pe & Phi: Unde veteres Romani *Pourios* pro Furios. Pabricia pro Fabricia, *Pilipus* pro Philippus, *Pœnos* homines & res *Pœnicas* dixere, quæ Phœniciæ & Phœnices dici debuissent: & quod Græce φοινικῶν & πορφύρεον est, Romani *puniceum* & *purpureum* verterunt. Contra Pittacum in nummo apud Caninium (*a*) ΦITTAKON dici constat. Apud Hebræos utriusque consonantis sonus una ב exprimitur. Originem Græcam præsefert ea consonans, quæ postrema est in voce ƎϞVJV si non duplex ss sed quod probabilius etiam Cl. Gorio visum est, duplex tt esset, VLVTTE. Accedit enim ea figura maxime ad tau duplicem: Potestas vero nominis eadem semper est: apud Græcos enim S & T duplices secundum varias dialectos invicem permutantur, ut notum est. Geminationes etiam ejusdem consonantis Orientalibus inusitatæ Græcam linguam sapiunt, quarum multa sunt exempla in antiquitatibus Etruscis.

Libet hic animadvertere litteram V occurrere sæpissime apud Etruscos, O vero vel nunquam, vel rarissime. Tritus jam locus est Prisciani (*b*). *O aliquot Italiæ civitates teste Plinio non habebant, sed loco ejus*

(*a*) Iconol. pag. 43. & Bellor. illustr. imag.
(*b*) Lib. 1.

ejus ponebant V & maxime Umbri & Thuſci. Id eſt in cauſa cur Apollo Etruſce ſit VIVIA, Caſtor ΦVIƎ٩Y Pollucem dixerint ƎXVIVI. Sic voces TOTA-PER IOVINA quæ frequentiſſime habentur in Tabula Eugubina ſexta vel ſeptima latinis litteris ſcripta, in reliquis Tabulis, quæ exaratæ ſunt characteribus Etruſcis ſcribuntur AИIƆVII ΦƎIAИVI per u: ſic VIƎB IИVI latine ſemper PONI PETV. Sic FOLNIVS (gentile nomen id eſt) in Urna ſexta Tab. LXXXIII. Etr. Reg. eſt ЯIИNV8. Contra vero apud veteres Romanos ſepiſſime uſurpatur O, ubi poſtea fuit V, quemadmodum ex eorum monumentis conſtat, apud antiquos Italos alterutra harum vocalium ſupplente vices utriuſque. Ita Priſcianus: V *quoque multis Italiæ populis in uſu non erat, ſed e contrario utebantur* O. In fictilibus Romæ repertis D. FOLVI, quod poſtea ſcribebatur *Fulvii*. Apud Fabrettum in vetuſta lamella (*a*) modo PLACENTIVS idem dicitur, modo PLACENTIOS, & Auſonius

Ω *quod &* OT *Græci compenſat Romula vox* O.

Hæc in memoriam revocant litteram Vau, quæ apud Hebræos modo per V, modo per O redditur; aut potius ϒ hain, e cujus figura noſtrates O & V prodierunt.

Variarunt Etruſci ſitum poſitionemque litterarum itidem ut antiquæ Oentes. Sic in Tab. II. Etr. Reg. in voce ΛƎDИƎM digamma Æolicum ϝ cum in Tab. IIII. ſit ϟ. S Etruſcorum ſcribi ſolent Ϟ. In voce ΦVIƎ٩Y eſt Ϳ. in voce vero Pherſe Tab. V. ſeu nomine Perſei eſt ᴍ. R in Tab. LIII. & LXXXII. eſt P, cum alibi ſemper ſit q, vel ɑ. Sic A in Tab. LXXXXVI. Muſ. Etr. monente Gorio eſt

in

(*a*) Inſc. pag. 27. Vid. Quintil. lib. 1. c. 4.

inverſo capite Ꝟ ; Sic in voce ⅄ИИ⅂Ǝ⅄ (*a*) & ⅄ИІ⅄ИІІ⅂Ǝ⅄ eſt E contra atque ſolet, dextrorſum converſa. Vide etiam Tau inverſam in nummo Tudertе Tab. LX. Etr. Reg.

Antiquum ſcribendi modum a dextera in ſiniſtram Etruſci retinuerunt. Non ita tamen tenuerunt, ut quandoque dextrorſum more noſtro verſus non exararent. Hujus varietatis in eodem monumento exempla nullo pacto artificum oſcitantiæ tribuenda ſunt in multis Tabulis Etr. Reg. Notanda eſt etiam Tab. LXXXIV. n. 4. & titulus gemmæ Tab. CIV. n. 6. Muſ. Etr. quæ more noſtro exarata ſunt. Vide etiam explicat. Bonarot. ſ. 42. & Paſtoll. de orig. Etr. pag. 244. Confirmant hæc quod dictum eſt, in antiquiſſimis monumentis ſive litteræ ſtent, ſive ſint inverſæ, ſive ad dexteram verſus progrediantur, ſive ad ſiniſtram, idem eſſe.

Affines Etruſcis perhibentur litteræ, quæ leguntur in nummis Samnitum. Ex eorum numero eſt is, quem afferimus num. IV. Erunt illæ tractationis noſtræ complementum. Nummum eleganti diſſertatione explicavit Cl. Olivierius, oſtenditque Cajum Mutilum vel Mutilium Samnitum Imperatorem a Romanis ſcriptoribus commemoratum indicari iis litteris, quas appoſite Italicas nuncupavit. Litteram enim G ita ᐸ efformari non ſolum ab Etruſcis crediderunt eruditi, ſed eriam a Siculis oſtendimus e nummis Agrigentinorum: Sic ꞁ apud Etruſcos valere L quemadmodum valuit etiam apud Leontinos. Ꝛ vero ita effingi in nummis etiam Meſſanenſium vidimus. Notandus eſt præterea litterarum progreſſus in modum Orientalium. Cum ergo differentes linguæ iiſdem litteris utantur, argumento id eſſe debet,

(*a*) Muſ. Etr. pag. 410. & 415.

bet, has e communi fonte derivari, hoc eſt ex iis, quæ olim tot Gentibus, ut vidimus, fuere communes.

Partem poſticam nummi illuſtrant quæ habet Strabo, lib. V. (*a*) *Inſecuta autem ſterilitate, monuiſſe quendam, prolem quoque Diis dicandam: obtemperaſſe Sabinos: eoque anno editos filios Marti nuncupaſſe: cumque ii virilem ætatem attigiſſent, duce tauro ad coloniam alicubi condendam emiſiſſe: taurum in Opicorum regione procubuiſſe: miſſos his expulſis ea loca inſediſſe, taurumque Marti, qui eum ipſis ductorem dediſſet, ex oraculo ſacrificaſſe. Probabile porro eſt eos diminutive Sabellos a majoribus ſuis nominatos &c.* Vides in nummo Martem, cui auctores Samnitis populi e Sabinis prognati ſolemniter conſecrati fuerant, vides taurum coloniæ deductæ ducem, vides procumbentem & mox Deo ſacrificandum. Quantum ad inſcriptionem ſpectat, nullo modo dubitare poſſum, quin ſit ΨIИIBA\ *Sabinim*, ideſt Sabini. Sabinorum ſe nomine nuncupant Samnites, tum quia Sabino ſanguine procreati Sabini populi pars erant, tum etiam quia ſe maxime dignos eo nomine judicant, quippe qui generis ſui libertatem adhuc tuebantur, quod ſummum in humanis excellumque decus eſt; cum contra veteres Sabini jampridem in poteſtatem redacti fuiſſent Populi Romani, qui ut veteres Sabinos a recentioribus diſcerneret, hos de colle Samnio (*b*) vel alia de cauſa Samnites dicere maluit. Solet enim uſus aliquando populis nomina tribuere, quæ populis ipſis non ſatis conveniunt. Sic nos *Moſcovitas* & *Sinenſes* nominibus appellamus, quæ, ut ferunt, nationibus appellatis incognita ſunt. De-

mum

(*a*) Ἀφορίας δὲ γενηθείσης εἴπε τις ὡς ἐχρὴ καθιερῶσαι &c. Σαβέλλους αὐτοὺς ὑποκοριστικῶς ἀπὸ τῶν γονέων προσαγορευθῆναι &c.

(*b*) Feſtus V. Samnites.

mum cum videamus in antiquioribus nummis Romanis præter nomen hominis nomen Romæ urbis apponi, conſentaneum eſt apud populum finitimum morem fuiſſe præter nomen Imperatoris addere nomen etiam gentis.

Eam porro terminationem in IM cum diu mecum ipſe conſideraverim, mihi viſus ſum detexiſſe originem caſuum, ſeu primos nominum caſus, qui poſtea Græcis & Latinis in quotidiano uſu fuerunt, ceteris vero nationibus incogniti. Conjecturam hanc pendat quiſque quo nomine volet. Vox *Sabinim* putanda eſt ſine ulla dubitatione eadem ac latina *Sabini*, terminata in IM numeri pluralis ex uſu Hebræorum. Deinde mutata tantum poſtrema vocali I ſuperioris vocis in O formatus eſt in OM ſecundus caſus, ſeu terminatio, qua indicaretur nomen ab alio nomine pendens. Sic in nummo Rheginorum (*a*) eſt ΡΗΓΙΝΟΣ ſeu ΡΗΓΙΝΟΜ quam vocem regit moneta aut aliquid ſimile. Sic in alio Lucanorum ΛΟΥΚΑΝΟΜ, (*b*) et Tyliſiorum ΜΟΙΞΙΛΤΤ, (*c*) cujus antiquæ terminationis veſtigia ſervant illa *prob* Deum *fidem*, *clamorque* virum *ſtridorque rudentum*, *tot* nummum, ſeſtertium, modium *millia* olim terminata in OM. Hi vetuſtiſſimi caſus Græcorum & Latinorum a me putantur. Dulcius deinde proferri cœpit utraque terminatio ſeu caſus omiſſa *mugiente*, *& obſcure ſonante* littera M & ex prima voce *Sabinim* facta eſt *Sabini*, quæ etiamnum eſt in uſu; in ſecundo vero omiſſa M dicebatur, ut ex nummis conſtat ROMANO, PAISTANO, SVESANO, CALENO, ONAIT (*d*) &c. quæ voces poſtea

(*a*) Beger. Theſ. Brand. T. 2.
(*b*) Oſs. lett. T. 5. p. 390.
(*c*) Goth. numm. p. 202.
(*d*) Beger. ib. Tom. 3.

ſtea fuiſſent *Romanorum*, *Pæſtanorum &c.* (*a*) Huic terminationi addita eſt a Græcis N affinis primigeniæ M, a Latinis ROM vel RUM, ut in inſcriptione columnæ roſtratæ Duillii OLOROM pro ILLORUM. Et in hac additione aliquando omiſſa eſt M, ut in inſcriptione L. Scipionis Barbati F. dicitur DVONORO pro BONORUM. Poſtremo ad diſtinguendos modos actionum, vel quia non erant ut apud Hebræos particulæ, quæ id præſtarent, vel quia negligebantur, neceſſario introducti ſunt tertius & quartus caſus eodem ordine vocalium retento, mutata ſolum littera M in S. Cur hæc eximie ſit uſurpata, crediderim hoc in cauſa fuiſſe, quia leniſſime omnium conſonantium pronunciatur & commodiſſime. Retenta ergo vocali primi caſus tertius deſinit in IS, ea vero, quæ fuit in ſecundo, ſervata, deſinit quartus in OS. Hoc pacto Latini dicere conſueverunt primo SABINIM SABINOM, poſtea SABINI SABINORUM SABINIS SABINOS, Græci vero ΣΑΒΙΝοΙ ΣΑΒΙΝΟΝ vel ΣΑΒΙΝΩΝ ΣΑΒΙΝοΙΣ ΣΑΒΙΝΟυΣ. In fœmineis nominibus ſimiliter: תְּהִלָּה *Tehilah* exempli gratia dicitur ab Hebræis: eadem vox in conſtructione alterius nominis eſt תְּהִלַּת *Tehilat*. Græcis ἡ θύρα in caſu recto, in obliquo τῆς θύρας, s & t facile permutari ſolitis in omnibus veteribus linguis. A Latinis antiquis PRAEDA & SENTENTIA dicitur in caſu recto, PRAEDAD & SENTENTIAD in obliquo, ut in memorata inſcriptione Duillii, & S. C. de Bacchanalibus &c.

(*a*) Quatuor nummos Meſſanenſes habet Paruta, quorum inſcriptio hinc eſt ΜΕΣΣΑΝΟ, hinc ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. Utraque vox Meſſanenſes ſignificat, hæc ex lingua Græca petita, illa ex Italica antiqua. Antiqui enim Zanclæi ſeu Meſſanenſes, ut ex Thucydide vidimus, venerant ex Italia.

Vidit D. Salvator Corticellius Cleric. Regular. Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropol. Bononiæ Pœnitentiarius pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiep. Bononiæ.

Die 8. Maji 1748.

IMPRIMATUR.

F. Seraphinus Maria Maccarinelli Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google